De Augustini contra Academicos libris III

Dissertatio Inauguralis

quam

Amplissimi Philosophorum Vratislaviensium Ordinis Consensu Et Auctoritate Ad Summos In Philosophia Honores Rite Capessendos Scripsit

Paulus Drewniok

Silesius.

Die XI mensis Octobris anni MCMXIII hora XI disseret Doctorandus in aula musica

„De origine contra omnia disserendi rationis."

Deinde Promotio erit.

Vratislaviae

Typis Schlesische Volkszeitung

MCMXIII.

De dissertatione probanda ad ordinem Philosophorum rettulit

A. Gercke.

Examen rigorosum habitum est die VII mensis Maii h. a.

mp

Patris Memoriae sacrum

Quatenus et quomodo Augustinus in III contra Academicos libris Ciceronis Academicis usus sit.

Contra Academicos disputandi rationem ab Augustino libris contra Acad. III adhibitam Lucullus et Varro in Ciceronis Academicis et ante eos Antiochus, ut identidem in „Lucullo" libro affirmatur, ingressi erant. Itaque quod Augustinus illorum virorum sententias nihil sciendi et nihil assentiendi, quas sua aetate iam pridem fuisse exstinctas c. Ac. III 41 proclamat, refutare studet, neque novi quicquam molitur et argumenta alterius cuiusdam auctoris illis temporibus litteris perscripta ab eo proferri veri simile est. Nugas autem a se oppressas cum in Ciceronis Academicis fuisse ipse indicet c. Ac. III 45 neque loci horum librorum c. Ac. II 26 et III 15 sq. allati in Academicis servatis inveniantur, colligere necesse est explicationes Augustini ex perditis partibus haustas esse. Inde Krischius[1]), qui primus recentiorum hanc materiam tractavit et libros Tullianos amissos restituere elaboravit[2]), perstrictis Ciceronis quibusdam sententiis, quas cum similibus in Augustini libris explanatis comparavit, hunc Academicis eisque posterioribus usum esse p. 180 sqq. suspicatus est. Quamquam graves causae deerant hoc fieri potuisse negandi, tamen doctissimum illum virum opinione sua longius esse progressum intellegi potest ex libello Ohlmanni[3]), qui librum contra Ac. I. imprimis excussit atque Augustinum hunc librum hausisse de Ciceronis Hortensio dialogo dilucide demonstravit. Sed alia quoque ex ratione rem in dubio versari puto. Etenim cum editionis prioris alter liber, qui Lucullus inscribitur, servatus sit, posteriorum vero Academicorum IV nihil nisi maior pars libri I., elucet totius voluminis tertiam partem vel plus plane esse amissam. Facile igitur Augustinus ea, quae Luculli explicationum similia praebet, ab eodem, cetera omnia a Catulo perdito mutuari potuit, ut editionem posteriorem in eius manibus fuisse opinari non cogamur. Deinde quamvis non sit addubitandum Academica fuisse fontem Augustini, certe ne id quidem, quod Harnackius[4]) dixit, eum a

---

[1]) Studia Gotting. a. 1845.

[2]) l. a. pag. 145 sqq. et 170 sqq..

[3]) D. Ohlmann: „De S. Augustini Dialogis in Cassiciaco scriptis", Diss. Argentoratensis 1897.

[4]) A. Harnack: „Reden und Aufsätze"; Vol. I 1. Giessae 1904.

Cicerone magis pendere quam ipse confiteatur, de libris contra Acad. satis adhuc enucleatum est. Itaque cum operam daturus sim explicando, quatenus et quomodo ille Cicerone usus sit, in priore parte disputationis quaeram, quatenus Hortensium in usum suum converterit. Deinde praemissa dispositione sermonis contra Academicos habiti illustrare conabor, quomodo ille Ciceronis Academica imitatus sit, ut non prioris editionis libros sed posterioris fontem fuisse intellegatur. Postremo eas partes circumscribam, quas Academicis perditis tribuendas esse arbitror.

Sed antequam ad rem ipsam accedam, ceterorum quoque virorum doctorum libros de eadem materia conscriptos oportet commemorari, qui quidem a me respecti sint:

Orelli: Editio Academicorum, de Fin. libr. Ciceronis, contra Acad. III libr. Augustini; edd. Baiter et Halmius vol. IV., Turici 1861.

C. F. W. Müller: Cicero IV 3: In hoc volumine Hortensii fragmenta collata sub iisdem numeris a me adferuntur.

H. Diels: „Zu Aristoteles' Protreptikos und Cicero's Hortensius" (Archiv f. Gesch. d. Philos. I, 1888, 477 sqq.) Hac quaestione Ciceronis Hortensii Aristotelis προτρεπτικός fons statuitur.

P. Hartlich: Stud. Lips. 1888, XI, 300 Hortensium ex protrepticis Aristotelis et Posidonii exortum esse suspicatur.

Plasberg: a) „De M. Tulli Ciceronis Hortensio dialogo", Diss. Berolinensis 1892.

b) Editio Ciceronis Academicorum (aliorumque scr. philos.) Lipsiae 1908, 1911.

Hic, quod in illa dissertatione, qua Hortensium restituere studebat, libros Augustini praeteriit, vituperatus est ab Ohlmanno pag. 7 et iam antea ab Usenero („Göttinger Gelehrte Anzeigen", 1892, I, 317—389).

R. Hirzel: „Untersuchungen zu Ciceros philos. Schriften" III, Lipsiae 1883.

Hic vir doctissimus, cum de fontibus Ciceronis agat, et Hortensium eius pag. 347 et Augustini contra Acad. libros compluribus locis monstrat. Simili modo ad Ciceronis Academica Augustini quasdam sententias refert:

Leder: „Untersuchungen über Augustins Erkenntnistheorie in ihren Beziehungen zur antiken Skepsis, zu Plotin und zu Descartes," Diss. Marburg. 1901.

Non graviora ad nostram quaestionem afferunt:

C. Thiaucourt: („Les Académiques de Cicéron et le contra Academicos de Saint Augustin“: Mélanges Boissier, Paris 1903), quod singulos utriusque auctoris locos non pertractat, et

A. Lörcher: („Das Fremde und das Eigene in Ciceros Büchern de Finibus Bonorum et Malorum und den Academica“, Halae a. S. 1911), qui in Cicerone tantum perquirendo versetur.

Ne Woerter quidem in libro, qui dicitur: „Die Geistesentwickelung des hl. Aurelius Augustinus bis zu seiner Taufe,“ Paderbornae 1892, quantopere Augustinus ex Cicerone pendeat, cognoscit (cf. Ohlmann. pag. 6).

Subtiliter vero

S. Reidius in praefatione Academicorum editionis (London 1874) pag. 50 sqq., etsi c. Ac. libros non adhibet, de Catulo amisso quaedam conicit.

I.

Iam, cum ad priorem partem disputationis accedam, liceat mihi paucis complecti ea, quae ab Ohlmanno pag. 28—49 de primo contra Ac. libro evicta esse iudico:

Materia hic tractata longe a libris contra Ac. II. et III. propterea distat, quod in his summa quaestionis deliberat, utrum percipere possit sapiens veritatem an non, illic de vita beata agitur[1]). Sermonum libri I. qui primas partes agunt, Trygetium et Licentium, admodum adulescentulos, primordia tantum philosophiae nosse neque ad illud tempus Ciceronis Academica legisse apparet ex I4 et II17 et III45. Ergo cum Augustinus duos discipulos, qui Hortensium Ciceronis legerint, in disputatione contra Academicos libris II. et III. habita a principe loco recedere iubeat et Alypio eorum partes mandet, sequitur ea, quae illi in libro I. inter se disputant, esse sumpta ex philosophiae parte eis nota neque vero ex Academicis. Sin ipsas contra Academicos explicationes, quae ordiuntur a libri II.11, perlegeris, magis magisque tibi persuadebis eas pugnare contra Ciceronis Academica, ut demonstratur c. Ac. III14; 15; 45; Retract. I4[2]). Etsi enim in libro II. Ciceronis Academica expressis verbis non nominantur, tamen libri II. et III. artius inter se cohaerent[3]), cum tribus diebus se invicem excipientibus illorum disputationes habitae sint, inter libros autem I. et II. septem dies interpositi, ut declaratur c. Ac. II 10[4]). Librum c. Ac. primum ex Ciceronis Academicis profluxisse vel eo probabile non est, quod Augustinus in argumentis Ciceronis refellendis ne unum quidem perstrinxit eorum, quibus Licentius in libro I. usus victor discessit[5]). At tamen idem Ciceronis auctoritate in sua sententia exponenda nititur c. Ac. I 7: „Quid de

---

1) Ohlmann, pag. 29.
2) id. pag. 28.
3) hoc imprimis ex altera parte nostrae quaestionis apparet.
4) id. pag. 20—22.
5) id. pag. 29 sq.

illo nostro Cicerone, quid tandem existimas? . . . . Ergo eius de hac re sententia habet apud te aliquid ponderis? . . . . Placuit enim Ciceroni nostro beatum esse qui veritatem investigat, etiamsi ad eius inventionem non valeat pervenire . . . . Quis ignorat eum affirmasse vehementer nihil ab homine percipi posse nihilque remanere sapienti nisi diligentissimam inquisitionem veritatis, propterea quia, si incertis rebus esset assensus, etiam si fortasse verae forent, liberari ab errore non posset? quae maxima est culpa sapientis. Quam ob rem si et sapientem necessario beatum esse credendum est et veritatis sola inquisitio perfectum sapientiae munus est, quid dubitamus existimare beatam vitam etiam per se ipsa investigatione veritatis posse contingere?“ Totum hunc locum Ciceroni deberi patet ex causis ab Ohlmanno explanatis.

Ex I 4 vero suspicari licet Hortensium fuisse eum librum, de quo sententiae sunt depromptae, quamvis concedendum sit Augustinum non expressis verbis pronuntiasse Hortensium solum discipulos suos ad id tempus legisse. Sed ea, quae ibidem exposita sunt ita: „nihil ab homine percipi posse . . . propterea quia, si incertis rebus esset assensus (sc. sapiens), liberari ab errore non potest“, haud incommode conectuntur cum fragmento Hortensii 100 adhuc servato c. Ac. III 31: „Quod si adhuc vos adulescentes ignotum habetis (Ciceronem de sapiente agere) certe in Hortensio legistis: Si igitur nec certi est quidquam nec opinari sapientis est, nihil unquam sapiens approbabit.“ Ergo apparet, ut significatur illo „igitur“, paulo ante in eodem libro nescio quo in conexu de nihil percipiendo et opinando sapientis actum esse (Ohlmann pag. 37). Deinde prorsus non intellegeremus, quae Licentius l. a. Ciceronis sententiae dicendo praeponit: „Accipe igitur, quae sit (sc. Ciceronis sententia), nam eam tibi excidisse arbitror“, si negaremus eum cogitare de libro quodam utrique adulescentulo iam noto[1]). Idem conclusit Ohlmannus ex I 16 et I 24. Restat solus Hortensius ab Augustino nominatus, nisi forte credas alium nescio quem de philosophia librum Ciceronis ab illo silentio praeteritum esse exscriptum. Certissime vero argumentabimur, si et exordium et finem disputationis primi libri contra Ac. idem fuisse nobiscum reputaverimus atque in Hortensio, cum de Trin. XIII 7 traditum sit: „unde nec ipse, cum Academicis omnia dubia sint, Academicus ille Cicero dubitavit; qui cum

[1]) Ohlm. pag. 38.

vellet in Hortensio dialogo ab aliqua re certa, de qua nullus ambigeret, sumere suae disputationis exordium, Beati certe, inquit, omnes esse volumus"[1]). Et pari modo, quo Licentius in exitu dialogi (c. Ac. I 23) humanam sapientiam in ratione, qua veritas investigetur, positam seiungit ab altera divina hominibus post mortem obventura, Cicero sub finem Hortensii in hac terra viventibus philosophiam commendavit, quae „est in ratione et investigandi cupiditate", ut corporibus extinctis in caelum redire possint. Hoc enim legimus in fragmento 102 Hortensii servato ab Augustino contra Jul. Pelag. IV 76.

Alia gravissima argumenta Ohlmannus pag. 31 sqq. effusius explanavit. Adhibitis enim quibusdam locis e libris de Trin. XII.—XIV. ostendit cum in Augustini tum in Hortensio libro summam disputationis positam fuisse in seiungenda inventione a quaestione veritatis, quae sola hominibus data ipsa beatam vitam conficeret[2]).

Porro definitiones erroris (§ 11)[3]) et sapientiae (§§ 13[4]) et 16[5])) huiusque expositionem[6]) et extremam partem § 23[7]) Hortensio tribuendas esse ille argumentatur. Quae complectitur pag. 47 sic: „Demonstravimus ex Hortensio desumpta esse et disputationis initium § 5 et definitionem in fine § 5 prolatam et locum illum totius dialogi summam continentem § 7 et distinctionem illam § 9[8]) et 23 factam et erroris atque sapientiae definitionem ac expositionem § 11, 16 sqq., et sententiam in fine dialogi positam. Hortensius igitur totius libri c. Acad. I. fons iure meritoque dici potest." An de alio quodam libro cogitari possit? Cum Augustinus ibidem dicat: „pauculis diebus transactis

[1]) Ohlm. pag. 35.
[2]) id. pag. 39—45.
[3]) id. pag. 40 sq..
[4]) pag. 49.
[5]) pag. 45.
[6]) pag. 45 sq..
[7]) pag. 46 sq..
[8]) Ohlmanno quidem, qui fragmentum 97 Hortensii ab Augustino de Trin. XIV 19 servatum cum libri I. c. Ac. §§ 9 et 23 comparavit, fuit premendum etiam verba „dies noctesque" in illo usurpata: „Quae nobis dies noctesque considerantibus acuentibusque intellegentiam . . . id est in philosophia viventibus etc." reperiri in § 9: „Postremo cum hominem necesse sit aut beatum esse aut miserum, nonne dementis est eum, qui dies noctesque quantum potest instat investigandae veritati, miserum dicere?", cum hoc ipso imitatio dilucide ostendatur.

posteaquam in agro vivere coepimus, cum eos ad studia hortans.... paratos.... viderem", mihi quidem omnino veri simile videtur non esse eum cum adulescentulis prima elementa philosophiae discentibus his pauculis diebus uno libro plus recensuisse.

Haec ex iis argumentis, quibus Ohlmannus evicit ex Hortensio librum contra Acad. I. profluxisse, seligenda et referenda esse quibusdam mutatis putavi. Nunc perscrutemur prooemium libri c. Ac. I., quod ex Hortensio pendere Plasbergius in Diss. pag. 66 ab Hartlichio[1]) dissentiens nulla causa allata negavit. Etsi enim Ohlmannus non solum librum I. sed etiam eius prooemium ex Hortensio exortum esse collegit, tamen hoc ipsum, quia cum Cicerone non comparavit, mihi inquirendum restat. Legimus, ubi sermo de vita beata nondum institui coepit, c. Ac. I 1: „Sed quoniam ita comparatum est, sive pro meritis nostris, sive pro necessitate naturae, ut divinum animum mortalibus inhaerentem nequaquam sapientiae portus accipiat, ubi neque adversante fortunae flatu, neque secundante moveatur, nisi eo illum fortuna ipsa .... perducat: nihil pro te nobis aliud quam vota restant." Haec verba doctrinam christianam redolere vix possunt, quoniam Augustinus haec anno fere 380, paulo ante baptismam, scripsit. Confer quaeso Retract. I 1: „Cum me ad christianae vitae otium contulissem, nondum baptizatus, contra Academicos ... primum scripsi." Immo velim inspicias Tusc. V 2: „Sin autem virtus subiecta sub varios incertosque casus famula fortunae est nec tantarum virium est, ut se ipsa tueatur, vereor, ne non tam virtutis fiducia nitendum nobis ad spem beate vivendi quam vota facienda videantur." Tullianae igitur sententiae nobis apud Augustinum occurrunt, neque vero ex ipsis Tusc. disputationibus ea manasse mihi videntur. Ad rem certius diiudicandam affero Off. II 19: „Magnam vim esse in fortuna in utramque partem, vel secundas ad res vel adversas, quis ignorat? nam et, cum prospero flatu eius utimur, ad exitus pervehimur optatos et, cum reflavit, affligimur." Ergo hic quoque mira quaedam similitudo sententiarum vocabulorumque cum altero sub oculos cadit, cum ab utroque vis fortunae et secundae et adversae monstretur eaque flatus nominetur. Itaque Augustinus sine dubio non suam ipsius sed potius Ciceronis sententiam profert. Num existimas eum ex duobus huius libris sententias indagatas in unum cone-

---

1) pag. 299 adn. 1.

xuisse? Prorsus hoc alienum est a probabilitate, praesertim cum disputationis inter Trygetium et Licentium habitae dialogus Hortensius fons constitutus sit. Sed etiam cetera adiungamus, quae ab Augustino de fortuna commemorantur in I 1, 1 c. Ac.: „Etenim fortasse quae vulgo fortuna nominatur, occulto quodam ordine regitur, nihilque aliud in rebus casum vocamus, nisi cuius ratio et causa secreta est," quibuscum conferantur Ciceronis Ac. I 29: „quam (vim mundi) .. necessitatem appellant ..... quasi fatalem et immutabilem continuationem ordinis sempiterni, nonnunquam .. eandem fortunam, quod efficiat multa improvisa et necopinata nobis propter obscuritatem ignorationemque causarum." Cicero ergo dicit de vi mundi, quae vel fortuna propter obscuritatem causarum nominatur vel necessitas propter sempiternum ordinem in ea positum. Pari modo alter fortunam „occulto quodam ordine" regere opinatur, cuius causa secreta sit. Atque etiam aliqua cum priore loco Augustini similitudo exstat, cum illic in fortuna necessitas[1]) naturae cognoscatur. Tamen ne ex Academicis quidem has sententias sumptas esse patet, nisi etiam libri II. de Off. et V. Tusc. disputationum adhibiti esse videntur. At Cicero in libris de philosophia scriptis identidem, quod alterius totius argumentum tractatur, in alio vel aliis breviter perstringit. Tali modo videmus initio libri de Off. II. Hortensii mentionem fieri. Praecipue vero respiciendum est sententiam de fortuna supra allatam, cuius similis apud Aug. I 1 invenitur, paulo post istam Hortensii mentionem exstare. Porro alter locus de fortuna ex libro Tusc. V. exscriptus est, in quo ipso quoque ut in Hortensio de beate vivendo agitur. Neque parvi ponderis est, quod Hartlichius pag. 287 sqq. ostendit, hoc Tusc. libri prooemium permagnas consensiones proferre cum Posidonii Protreptico, qui, si non ipse Ciceronis Hortensio exemplo fuit, at tamen ad eundem fontem atque ille referri potest[2]). Itaque optimo iure suspicandum est Ciceronem in hoc explicasse hominem, cum in hac terra corporis compedibus impeditus ad sapientiam pervenire non posset, esse in potestate fortunae. Quod re vera esse tractatum in hoc dialogo mihi quidem videtur elucere ex Hortensii fragmento 39 (ed. Muelleriana; Augustinus de vit. b. et de Trin. XIII 13.): „Ecce autem non philosophi quidem, sed prompti tamen ad disputandum

---

1) cf. pag. 13.

2) cf. Hartlich. pag. 300; Hirzel. quaest. III 347, 3; Diels. pag. 477 sqq..

omnes aiunt esse beatos, qui vivant, ut ipsi velint. Falsum id quidem. Velle enim, quod non deceat, id ipsum miserrimum: nec tam miserum est non adipisci, quod velis, quam adipisci velle, quod non oporteat. Plus enim mali pravitas voluntatis affert, quam fortuna cuiquam boni." Id est: Quamquam miserum est non adipisci, quod velis, tamen vel multo miserius adipisci velle, quod non deceat. Sin quispiam adipiscitur id, quod velit, ex aliis rebus pendet. Fortuna cum vero, ut fragmentum docet, non multum boni afferat, persaepe resistit voluntati hominis, ut id, quod optet, non assequatur. Ergo ex eo, quod quasi fixum ponitur, homini vitam beatam fortuna obvenire, probabile est iam in explicationibus, quae huic fragmento praecurrebant, de illius potestate dictum esse. Ac dubito an cum fragmento 50 (Aug. de Trin. XIV 9): „Una igitur (si nobis, cum ex hac vita emigraverimus, in beatorum insulis immortale aevum, ut fabulae ferunt, degere liceret) essemus beati cognitione naturae et scientia, qua sola etiam deorum est vita laudanda. Ex quo intellegi potest cetera necessitatis esse, unum hoc voluntatis" apte conferantur verba Augustini c. Ac. I 1: „Sed quoniam ita comparatum est, sive pro meritis nostris, sive pro necessitate naturae, ut divinum animum ... nequaquam sapientiae portus accipiat" (etc. ut supra).

Itaque cum etiam in prooemio, quo Romanianus ad philosophiam incitatur, sententiae cum Ciceronis locis valde congruentes appareant, auctorem nostrum illud totum ex Hortensio mutuatum esse veri simillimum existimo.

Iam nos convertamus ad librum c. Ac. II. perquirendum, in quo non nulla Hortensii vestigia nondum adhuc reperta latere opinor. Cum de libro primo tantum Ohlmannus accurate quaesiverit, de libris c. Ac. II. et III. campus quaerendo restat totus. Etenim nihil aliud adhuc effectum est, nisi quod, quoniam ex Ciceronis Academicis loci c. Ac. II 26, III 16 et 31 afferuntur et Augustinus se Ciceronis argumenta refellere ipse profitetur (l. a. III 14, 31, 45), libros II. et III. inter se artissime cohaerentes ex illis profluxisse conclusum est[1]). Neque ita graviora ante Ohlmannum in medium protulit Krischius, qui pro certo statuit Academica posteriora ab Augustino adhibita esse. Hoc vero quamvis verisimile neque tamen esse adhuc comprobatum supra[2]) dixi. Ut perspicue demonstremus,

1) Ohlm. pag. 28.
2) pag. 7.

qualis auctoris imitatio sit, ordinem rerum secuti quaestionem instituamus:

Cum Augustinus ad finem libri I. dixerit: „Illos (sc. Academicos) eos citare decrevi“ et libri II. initium faciat ita: „Si quam necesse est disciplina atque scientia sapientiae vacuum esse non posse sapientem, tam eam necesse esset invenire dum quaeritur, omnis profecto Academicorum vel calumnia . . . cum ipsius Carneadis Ciceronisque corporibus sepulta foret“, credas eum statim de illorum doctrina disputare velle. Atque haud scio an explicationibus c. Ac. II 1: „Sed quia sive vitae multis variisque iactationibus, . . sive ingeniorum quodam stupore, ... sive desperatione inveniendi, quia non tam facile mentibus sapientiae sidus oboritur . . . nec diligenter homines quaerunt, . . . et a quaerendi voluntate avertuntur, evenit, ut scientia raro paucisque proveniat“ respondeant, quae scripta sunt Ac. II 7: „Etsi enim omnis cognitio multis est obstructa difficultatibus, eaque est et in ipsis rebus obscuritas et in iudiciis nostris infirmitas, ut non sine causa antiquissimi et doctissimi invenire se posse, quod cuperent, diffisi sint“ et Ac. II 45: „Sed tamen maiore opus est diligentia, ne ab iis, quae clara sint, . . . depellamur. (46) Adversatur enim primum, quod parum defigunt animos. . . .; alterum est, quod fallacibus et captiosis interrogationibus circumscripti. . . . desciscunt a veritate.“ Etenim hic atque illic impedimenta veritatis inveniendae et in hominum vitiis et in rerum obscuritate ponuntur. Sed quae tum sequuntur (II 1): „Quamobrem contra illos fluctus procellasque fortunae, cum obnitendum remis qualiumcumque virtutum, tum in primis divinum auxilium . . . . implorandum est, ut intentio constantissima bonorum studiorum teneat cursum suum“, in sententias libri I. 1 explanatas relabuntur. Iterum fortunae mentio fit, cuius profligandae causa non tam virtute quam dei auxilio opus sit. Quo loco Augustinus quantopere Ciceronem imitatus sit, ut appareat, reminiscamur Tusc. V 2[1]). Quamvis imitatio simili genere dicendi „cum obnitendum remis . . . virtutum“ et „virtutis fiducia nitendum“ ab utroque in eadem sententia adhibito manifesta sit, etiam accedit, quod rursus admonetur[2]) vim fortunae votis superari posse (II 1, 1): „hinc . . . quotidianis votis auras tibi prosperas orare non cesso.“ Praeterea cum verbo l. a. „cursus“ eadem subiecta

---

1) cf. pag. 13.
2) cf. pag. 13.

sit notio quae in Hortensii fragmento 97: „.. quo magis hi fuerint semper in suo cursu, id est in ratione et investigandi cupiditate", optimo iure suspicor nullum alium fontem Augustino hac parte propositum fuisse nisi eum, quem libro I.. Neque hoc mirum est, cum initio libri II. pariter atque in prooemio primi Romanianus ad philosophiam incitetur, cuius praestantia omnium rerum ornatissime illustratur. Quod quidem Ohlmannus de hoc pag. 28 dixit: „Prooemium autem libri primi ad totius operis argumentum parum quadrat, cum nec secundum nec tertium librum in eo Augustinus respiciat, de consilio autem contra Academicos disserendi ne verbum quidem faciat," haud scio an parum acute diiudicatum sit. Etsi enim prooemio libri I. ne uno quidem verbo significari disputationes librorum II. et III. concedam, tamen facile quispiam concludere potest ex illius verbis (pag. 29): „Itaque cum in secundo et tertio libro Academicorum argumenta refutaturus sit, nova res novum requirit prooemium" exordium libri II. nihil commune habere cum explicationibus, quae antecedunt. Immo primum libri II. initium optime cohaerere cum prooemio libri I. modo demonstravimus. Prooemium autem libri II. quantopere cohaereat cum libro I., maxime elucet ex § 6, quam nunc inspiciamus. Primum comparentur verba ibidem explanata: „Inde est illa hospitalitas, inde in conviviis multa humanitatis condimenta, inde ipsa elegantia" cum Leg. III 1: „„Marcus. „Sequar . . . divinum illum virum." Atticus. „Platonem videlicet dicis." M. „Istum ipsum". A. „Tu vero eum nec nimis valde . . . laudaveris; nam hoc mihi etiam nostri illi concedunt, ut cum arbitratu meo diligam." M. „Bene hercle faciunt. Quid enim est elegantia tua dignius? cuius et vita et oratio consecuta mihi videtur difficillimam illam societatem gravitatis cum humanitate."" Ergo Plato ipse quoque et in vita et in oratione elegantia atque humanitate cum gravitate usus est. Deinde cum his conferatur velim Tusc. IV 72: „Philosophi sumus exorti, et auctore quidem nostro Platone, ... qui amori auctoritatem tribueremus. Stoici vero et sapientem amaturum esse dicunt et amorem ipsum „conatum amicitiae faciendae ex pulchritudinis specie" definiunt."

At Augustinus postea c. Ac. II 7 similiter de philosophia dicit, quae „amor sapientiae" nominatur, id est amor verae pulchritudinis, qui gignit „hospitalitatem, in conviviis multa humanitatis condimenta, elegantiam". Nonne est „humanitatis

condimenta“ idem atque „difficillima illa societas gravitatis cum humanitate“ a Platone adhibita, quam Atticum secutum esse supra legimus? Deinde mihi iterum atque iterum hunc Augustini locum legenti mirum videtur esse, quod tanta copia dicendi ille philosophiam dilatavit exornavitque et imprimis, qualem vim in conviviis haberet, explanavit. Hoc ipsum quoque ad Platonem videtur spectare. Quodsi de amore verae pulchritudinis loquitur, haec nulla alia est nisi virtus, cuius amor „tortuose ac deformiter inter scabra vitiorum frondescit“, in Off. I 15 significatus „honestum“:

Ergo ex his comparatis concludo Augustinum in laudanda philosophia Platonem esse secutum idque Cicerone auctore, qui teste Lactantio Inst. III 25[1]) summus sit Platonis imitator.

Quantopere Augustinus sibi exemplar sumpserit Ciceronem, animis et oculis nostris dilucide proponatur his collatis:

c. Ac. II 6:	Off. I 15:	c. Ac. II 7:
Tanta se mihi philosophiae facies aperuit, ut non dicam tibi, qui eius incognitae fame semper arsisti, sed si . . . eam demonstrare potuissem, nae ille . . . ad huius pulchritudinem blandus amor et . . . mirans . . . advolaret.	Formam quidem ipsam . . . et tamquam faciem honesti vides, quae si oculis cerneretur, mirabiles amores, ut ait Plato, excitaret sapientiae. Resp. I 56: Audiamus communes quasi doctores eruditorum hominum, qui tamquam oculis illa viderunt, quae nos vix audiendo cognoscimus.	Ergo ille, si veram pulchritudinem . . . sanatis . . . oculis posset intueri, quanta voluptate philosophiae gremio se involveret! . . . Quid? si saltem vox, si adhuc facies videri a te non potest, ipsius philosophiae posset audiri?

c. Ac. II 6:	Fin IV 18:
Habet enim et ille (sc. amor pulchritudinis vel secundum II 7 amor sapientiae) quoddam decus animi vel potius decoris quasi sementem, quod erumpere in veram pulchritudinem . . . inter scabra vitiorum . . . frondescit . . . Inde est illa hospitalitas,	Principiis autem a natura datis amplitudines quaedam bonorum excitabantur . . ., quod erat insitus menti cognitionis amor, ex quo etiam rationis explicandae disserendique cupiditas consequebatur, quodque hoc solum animal natum est . . . appetens . . .

1) cf. pag. 20.

inde in conviviis multa humanitatis condimenta, inde ipsa elegantia, nitor, mundissima facies rerum omnium . . .

convictum hominum ac societatem, animadvertensque in omnibus rebus, quas ageret aut diceret[1]), ut ne quid ab eo fieret nisi honeste ac decore, his initiis et . . . seminibus a natura datis . . . omnis honestas perfecte absoluta est.

Talia sufficiant ad evincendum ab Augustino his partibus verbo tenus Ciceronem esse exscriptum. Qui eodem loco ex illis „seminibus" quattuor virtutes gigni narrat similiter atque Off I. 15[2]). Intellegitur ergo explicationes libri I. de virtutibus cum libri II. 6 artissime cohaerere. Idem colligi potest ex Fin. II 51: „Istorum enim verborum amore . . ., sapientiae, fortitudinis, iustitiae, temperantiae . . . homines se ad philosophiae studium contulerunt". Itaque prooemium libri II. non solum cum prooemio libri I. sed etiam cum toto libro arte coniungendum est. Porro hic quoque Hortensium esse fontem facile cognoscemus. Quod apparet ex Tusc. II 13, qui locus easdem sententias atque c. Ac. II 6 amplectitur: „Cultura autem animi philosophia est; haec extrahit vitia radicitus et praeparat animos ad satus accipiendos eaque mandat iis et . . . serit, quae adulta fructus uberrimos ferant." Hoc vero loco paulo ante contra philosophiam idem argumentum prolatum esse atque ab Hortensio[3]), id est quosdam philosophos turpiter vivere, iam Plasbergius animadvertit[4]).

Adiungamus Hortensii fragmentum 32 (Lact. inst. III 16): „Ubi ergo apud antiquiores latuit amor iste investigandae veritatis?" Ergo vides in hoc dialogo ipso quoque amoris veri quaerendi mentionem factam esse, quem Augustinus tam copiose illustravit. At ex verbis „iste amor" concludamus necesse est hunc iam antea a Cicerone in eodem libro explicatum esse. Haec fuisse c. Ac. II ea, quae cum servatis Tullii libris permagnas similitudines praebent, optimo iure suspicor.

---

1) cf. pag. 17 Leg I 1: „. . . et in vita et in oratione . . ."

2) cf. pag. 18; sequuntur ibidem. „Sed omne, quod est honestum, id quattuor partium oritur ex aliqua." Deinde afferuntur illae virtutes principales, qua in re maxime est mentione dignum, quod tertiam nominat magnitudinem animi ac robur, quae vox apud Augustinum quoque invenitur (c. Ac. I 20).

3) Plasberg. Diss. pag. 50 sq..

4) id. pag. 54.

Idem sequitur ex alio Hortensii fragmento, quod a Dielsio[1] repertum est apud Boethium. Hic in different. top. (ed. Mign. tom. II. pag. 1187) testatur: „. . ut si quis quaerat, utrum philosophiae studendum sit, erit argumentatio talis: philosophia amor sapientiae est, huic studendum nemo dubitat, studendum igitur est philosophiae . . . quo (sc. argumento) Tullius etiam in Hortensio in eiusdem philosophiae usus est defensione."

Distinctio philosophiae et philocaliae, quae sequitur c. Ac. II 7: „Philocalia ista vulgo dicitur: ne contemnas nomen hoc ex vulgi nomine; nam philocalia et philosophia prope similiter cognominatae sunt . . . .; sed illa visco libidinis detracta caelo suo et inclusa cavea populari, viciniam tamen nominis tenuit, ad commonendum aucupem, ne se contemnat", cuius auctoris sit, fortasse perspiciatur ex Lactantii Inst. III 25: „Summus ille noster Platonis imitator existimavit philosophiam non esse vulgarem . . . Ob eam causam Tullius ait abhorrere a multitudine philosophiam." Augustini enim ipsius opinione, cum philocaliae „detractae caelo suo et inclusae cavea populari" philosophiam opponat, quae „libere volitans" alteram „sine pennis sordidatam saepe agnoscit, sed raro liberat", dilucidum est alienam esse philosophiam a multitudine. Deinde fortuitum esse non potest paulo post eum locum, quo Augustinum Platonis imitatorem cognovimus (II 6), similem quandam sententiam enuntiari atque a Lactantio propriam Ciceroni significatam, quem summum esse Platonis imitatorem ille eodem loco dicit. Itaque certum quendam locum Ciceronis cum Lactantius in animo habeat, nisi quis eum in ceteris eiusdem libris de philosophia servatis invenerit, in Hortensio amisso Platone auctore illum de philosophia tali modo iudicasse, quem ipsum Augustinus c. Ac. II 7 secutus sit, iure ac merito suspicari licet.

Inspiciamus nunc velim explicationes c. Ac. II 7, quae interiectae sunt inter illas (pag. 18) Tullii similes constitutas: „Quomodo ibi te cognitum sicut verum fratrem amplecteretur!" Hoc enim exemplo vis philosophiae exprimitur, qua efficiatur, ut in ipsa viventes, quamvis non sint naturae vinculo inter se coniuncti, tamen quasi veros fratres se complectantur. Illa autem verba, quae spectent Licentium et Romanianum, magnam praebent offensionem, cum Licentius filius Romaniani sit, quae societas naturae

[1]) pag. 486.

certe non minus est arta quam qua fratres coniunguntur. Quae cum ita sint, vis philosophiae illo exemplo non tam confirmatur, ut auctor voluit, quam infirmatur. In tantam autem inconcinnitatem is nisi causis extrinsecus allatis non potuit incidere, idque eo, quod nimis fontem secutus est. Nam Ciceroni coram amicis praestantiam philosophiae omnium rerum praedicanti licebat uni alterive eorum commode dicere: „Si philosophiae totum te dedisses, istum (vel me) sicut verum fratrem amplectereris."

Postremo memorandum est Augustini modum dicendi c. Ac. II 4 adhibitum: „... quod a superfluarum cupiditatum vinculis evolavi, quod depositis oneribus mortuarum curarum respiro" Ciceronis esse, ut cognosci potest ex Rep. VI 14: „... qui e corporum vinculis tamquam e carcere evolaverunt" et ex Tusc. III 35: „Non enim est in nostra potestate fodicantibus iis rebus, quas malas esse opinemur, dissimulatio..; respirare non sinunt".

In § 9 demum Augustinus recordatur, quid disputandum libro II. sibi proposuerit, cum confiteatur: „Nunc ad propositum veniamus. Iam enim sero coepi metuere, ne hoc principium modum excederet". Hoc novum propositum, id est ipsam contra Academicos disputationem, aggreditur § 11. Priusquam vero ad hanc rem ipsam accedamus, quam brevissime summam faciamus primae partis quaestionis: satis cognito etiam exordium libri c. Ac. I. ex Hortensio sumptum esse constituimus auctorem, quamquam in fine libri I. pronuntiavit se tum contra Academicos disserere velle, libro II. prooemium praeposuisse, quod ipse longius fuisse confessus est. Quod cum Augustinus concesserit neque illud a materia libri primi seiungendum esse intellexerimus, non solum librum I. sed etiam prooemium libri II., quod amplectitur §§ 1—9, ex Hortensio sumptum esse certissime concludimus[1]).

II.

Nunc convertamus nos ad alteram partem quaestionis, ad percensendam disputationem, quae contra Academicos habita est. Antequam vero de singulis rebus dicamus, liceat mihi eius argumentum exponere:

---

[1]) Scilicet excludenda sunt ea § 1, quae ex Academicis profluxisse nobis pag. 16 videbantur, et omnino omnia, quae ad familiaritatem Augustini eiusque amicorum spectant (§§ 2, 3, 8, 9).

Dispositio: pag. 22—27.

Liber II: Prooemium: (§ 1) Sapientia, cui studendum esse in libro I. enucleatum est, nisi perpaucis non obtingit propter obscuritatem rerum vitiumque rationis humanae. His fortunae motibus repugnare necesse est, quod fieri potest, si confugimus ad philosophiam. (2, 3) Ad quam Romanianus incitatur ita, ut (4—7) eius praestantia praedicetur eaque ipsa summis laudibus efferatur. (10) Augustinus, ut Academicorum sententiam breviter repetat, a Licentio rogatur.

Exordium: §§ 11—13. § 11 sq. ei morem gerit, cum explicet (11) illos neque quicquam sciri posse constituisse neque assentiri unquam sapientem, quod utrumque eos conclusisse ex Zenonis visi comprehensibilis definitione eiusdemque effato, ex quo appareret turpe esse opinari vel incognitae rei assentiri. (12) Sed cum propterea ceteris philosophis eorum sapiens nihil agere videretur, hunc probabile sequi in vita degenda concedebant, etiamsi vel hoc ipsum, assensionem refrenare, magnam sapientis actionem esse existimabant.

Disputatio prima: §§ 13—24. a) 13—15: Causa Academiae novatae narratur. Alypius, (13) cum eum Augustinus sit adhortatus, „ut causam novae Academiae aperiret“, demonstrat (14) huius discidium neque defectionem ab Academia vetere appellandum et concitatum esse contra Stoicos, cum Zeno visum perceptum tale definierit, quale falsum esse non possit. (15) Antiochus demum „in simultatem adduxit Academiae utriusque sententias“, cui recentiores prorsus aliud docere viderentur atque veteres philosophi; ipse autem sapientem verum scire sibi persuasit. b) 16—24: Disputatio de placitis Academicorum principalibus. (16) Cum Licentius ab Augustino interrogatus, approbetne Academicorum placita, affirmaverit, hic illius assensione, qua concessum erat illud probabile ab eis etiam veri simile nominari, in sua re firmatus (17—19) hoc ad absurdum deducere parat, cum insanum profecto iudicatum iri declarat, quisquis Licentii fratrem, cum vidisset, similem patris Romaniani esse dixerit neque vero hunc noverit. (20) Tales enim esse Academicos, qui dicant: „verum quidem non novimus, sed hoc quod videmus eius, quod non novimus, simile est.“ (22) Alypio, qui tum illos defendendos suscipit, Augustinus interrogatus, quos defendendi causa Academicos invehatur, se neminem adhuc probare (23) neque quicquam certi habere respondet, quo posse inveniri verum

affirmet. Sed inter se utrumque anquiri vult, possitne id reperiri an non, cum ipse multis argumentis Academicorum sententiam revincere possit. (24) Ab altero reprehensus, quod verborum controversiam sectatus sit, respondet Academicos fuisse idoneos qui singulis rebus apta imponerent nomina. Itaque cum sibi persuasum sit illos occultandae causa sententiae ita dixisse, proximis explicationibus id se spectaturum esse, ut proferat primum, „quae ab eis tamquam cognitionis humanae inimicis dicta homines putant,“ deinde quae vere illi senserint.

Disputatio secunda: De verisimili vel probabili §§ 25—30. (25) Alypius de verbis certandum non esse iterum premit. Quod ut dilucide explanet Augustinus auctoritatem Ciceronis provocans exemplum quoddam adhibet, quo demonstret, quale illi visum sit probabile. Tamen Licentius in § 27 veri simile iisdem telis oppugnat, quibus §§ 17—20 Augustinus oppugnavit, itaque ab Alypio (28) vehementer reprehenditur. Postremo Augustinus, cum (29) disputationis finem fecerit, promulgat in § 30 sibi tum propositum esse, ut quaerat nonne „illorum (sc. Academicorum) argumentis probabile sit nihil percipi posse ac nulli rei esse assentiendum“.

Liber III. Disputatio tertia: §§ 1—6. a) Praelusio. Priusquam Augustinus rem ipsam pertractat, sitne opus fortuna sapientiae studioso, ut hanc assequatur, an non, disputatur (2—4). b) Quaeritur nonne sapiens verum sciat. Res suscipitur (5) exponendo, quomodo sapiens et studiosus inter se distent, ex quo efficitur sapientem habere sapientiam, i. e. non nihil scire itaque, cum nemo falsa sciat, veritatem scire. Hoc Alypius quamquam (6) concedit sapienti posse videri, at tamen iudicat interesse inter sibi scire videri et scire.

Disputatio quarta: §§ 8—45. Colloqui pergunt post prandium eiusdem diei. a) Probatur sapientem verum scire. (8) Intellecto id, quod alteri manifestum sit, obscurum videri altero, Alypius adhortatur Augustinum, ut idem sibi ipsi quoque perspicuum faciat. Ergo ille interrogat Alypium, utrumnam ei videatur sapientiam scire sapiens Academicus an non, is vero Augustinum, quaeratne, utrum sapiens sibi videatur scire an sciat; alterum enim alterius a se dissimillimum haberi. (9) Iterum interrogatus explicat sibi videri illam scire sapienti videri. Tum demum, postquam Augustinus dixit responderi se velle, non quid sapienti videretur, sed num sapiens scire sapientiam Alypio videretur,

cedit hic ita: „Si inveniri sapiens qualem ratio prodit, queat: potest mihi videri scire sapientiam.“ Unde sequitur eum, qui sapientiam sciat, non nihil scire. (10) Itaque ad defendendos Academicos, qui, cum nemo falsa sciat, in hominem scientiam cadere posse negant, tantummodo restat, ut aut nihil esse sapientiam aut talem sapientem ab eis describi colligatur, qualem ratio non habeat. b) Talis sapiens, qui verum scit, in hac terra non est. (11) Ergo Augustinus, possitne talis sapiens inveniri, quaerit. Tamen adversarius occurrit Academicos habere, quo se defendant, cum de ipso nihil percipiendo certo non diiudicent, sed potius se contineant, veritatem autem ipsam a deo solo homini posse ostendi. (12) Qua Alypii concessione contentus adversarius pronuntiat illos eo, quod ne hoc quidem, nihil sciri, affirment, ut victores sint, esse victos, cum summum ipsorum decretum incertum fiat. Reliquum est, quod assentiendum non esse neque vero veritati, quam posse inveniri negant, dicunt. (13) Iterum approbatur supra concessum, a deo solo verum posse ostendi.

(14) Deinde duas quaestiones Augustinus proponit: Paucis contra eos disserturus est, „quibus videntur disputationes illae (c. Ac. III 5—13) adversari veritati,“ deinde „quae causa fuerit Academicis occultandae sententiae suae.“ Sed praelusionem praemittit.

a) De gloria Academicorum (16—18).

16. Hi propterea tantopere gloriantur, quod eorum sapiens ab omnibus ceterarum sectarum sapientibus sapientissimus iudicatur.

17. Hic tamen ab his omnibus illudetur, cum quilibet alius nihil didicerit, iste autem nequeat quicquam discere. Neque vero hoc, quod gloria gaudet, superior stulto est, fortasse inferior. (18) In Platonis autem schola non de illa sed de vita et moribus agitur.

b) (19—36) Sermo habetur contra eos, quibus disputationes c. A. III 5—13 veritati adversari videntur. (19) Academici, cum se nihil scire dicant, quod e Zenonis definitione concluserint, absurdius agunt quam qui affirment homini sapientiam non posse obtingere, dum in hoc corpore vivat. (20) Qua sententia, si teneatur, quamvis homines avertantur a philosophando, certe non tam quam illa superiore, qua, cum philosophiae studeant, tamen nihil scire cogantur. (21) Ex Zenonis definitione concluditur non nihil sciri posse eamque ipsam veram esse. (22) Augustinus pronuntiat se primum agere de percipiendo velle (α), deinde de adsentiendo (β).

α) De perceptione §§ 22—29. Carneadi, cum a Chrysippo pressus dixisset ea tantum ab homine sciri non posse, quae ad philosophiam pertinerent, quia Zenonis definitio inventum est philosophi, concludendum fuerit non solum aliquid, sed etiam falso simillimum illa labefactata percipi posse. Ergo ne in philosophia quidem nihil percipitur. (23) Vel insipiens rerum ad philosophiam pertinentium nonnullas scit et primum quidem in physica parte, velut mundum esse aut unum aut non unum, aliasque huiusmodi disiunctiones. (24) Qui esse istum mundum negat sciri posse, ei occurritur Academicos non affirmare nihil nobis videri, sed posse aliud esse ac videtur, quorum prius si ab illo dicatur, homo non errat, sin alterum, de nomine tantum controversia existit. (25) Quodsi visa dormientium vel furientium afferantur, tamen quaedam sunt, quae „vel genere humano stertente“ vera sint. Neque sensus accusantur, quod in furore et somno falsa videntur. (26) Sin semper res, ut essent, oculis se offerrent, certe illi deciperent, quod variis exstantibus causis varie nobis eae appareant necesse est. Quamquam etiam alia multa pro sensibus possunt dici, quibus Academici non occurrerunt. (27) Item in philosophia morali insipienti scientia obtingit, (28) quae ne somno quidem eripitur vel furore, cuius modi visa cum sapientia non coniungenda sunt. (29) Omnes autem et coniunctiones et disiunctiones veras esse per dialecticam docetur idque, qualis sit natura eorum capitum, quae per conexionem vel repugnantiam enuntiata sunt. Quarum rerum cognitio, si sapienti non obvenit, ad sapientiam non pertinet. β) De assensione agitur. §§ 30—36. (30) Assensionis retentio tollenda est, quod sapiens, cum sapientiam sciat, approbat eam. (31) Sin sapiens et sapientia certamen instituant, de eo aut hanc aut illum victorem discedere necesse est. Si alter vicerit, iam non sapiens erit, quia perversum est sapientem non consentire sapientiae, sin altera, huic ille assentietur. Quoniam Academici de sapiente agunt, hic sapientiam et percipiet et approbabit. (32.) Qui cum sapientiae assentiatur neque haec sit nihil, non nulli rei assentitur. Non igitur est disputandum de illo errore, qui evitari videtur, si assensio in omni re cohibetur. (33) Eo vero, quod illi negant quicquam esse approbandum, omnem actionem tollunt; neque eis expedit, quod probabile introducunt. (34) Exemplo allato demonstratur eum, qui veram viam non sequitur, non minus errare, quam qui falsam sequitur, cum Academicorum opinione erret is, qui quamvis fortuito tantum

rectam viam ingressus id quod voluit, assecutus sit, neque vero, qui ad modum petitum non pervenerit. (35 et 36) Illi perversa sententia usque eo delabuntur, ut proclament eum, qui probabile sequatur, neque errare neque peccare, dummodo ne assentiatur. Quo ex absurdo effato sequitur, ut omnia qualiacumque scelera, „non solum sine sceleris sed etiam sine erroris vituperatione“ committenda sint. Sin tamen Cicero nihil sciri posse defendat, hoc solum si quispiam dixerit „scio ita videri mihi“, ad illum refellendum satis sit.

c) Quae causa occultandae sententiae suae Academicis fuerit, disseritur. 37—40.

(37) Plato duos esse mundos docuerat, alterum intellegibilem, alterum sensibilem, quorum hunc esse mundum opinionis, veritatis illum. (38) Zeno autem cum nihil esse praeter hunc mundum, qui a nobis sentiretur, affirmavisset, Arcesilas collegit nihil posse comprehendi. (39) Sin ille id, quod posse percipi ipse definiebat, in corporibus non inveniri cognovisset, Academici nunquam tam obscure disputavissent. At pertinaces fuerunt Stoici, dum Carneades eis vehementius resistit et, (40) ne contra omnem actionem dicat, veri simile introducit. Hoc scilicet ita nominabant Academici neque ignorabant esse simile falsi.

d) Historia Academiae a Philonis aetate narratur. 41—42.

(41) Deinde autem cum Philo illorum sententias ad Platonem revocare coepisset, Antiochus sua placita veteris Academiae esse affirmabat, cum re vera essent Stoicorum. Tum postquam Philo et Cicero restiterunt, Platonis solius decreta vigebant. (42) Itaque tria philosophorum genera remanent eaque Cynicorum, Peripateticorum, Platonicorum. Horum philosophia homini alterum mundum intellegibilem monstrat, in quam ille nisi dei auxilio remigrare non potest.

Hanc si totam disputationem ab Augustino contra Academicos habitam respicimus, quae quadripartita[1]) est, cave ne, cum etiam Ciceronis Academica posteriora in IV libros fuerint divisa, illos quattuor sermones plane secundum hos libros esse dispositos suspiceris. Immo huic opinioni obstat, quod tres priores disputationes cunctae non plura quam quarta sola amplectuntur; neque igitur quartae disputationi unum e quattuor Academicis

---

[1]) Etenim quamvis sint quintae partes quaestionis, tamen prima (II 11 sq.), qua tota Academicorum sententia repetitur, quasi exordium est: ipsa disputatio incipit § 14, ut ex comparatione cum Ac. I 43 facta apparet (cf. pag. 28 sq.).

libris Augustinum exscripsisse veri est simile. Porro si aliter esset, nobis colligendum esset quartum sermonem ex Academicorum IV. libro profluxisse. Quod minime fuisse ex nostra quaestione clarescet.

At tamen valde mirum mihi quidem videtur esse eo ipso, quod ille extremam disputationem adeo expandit, tot expleri sermones, quot libris Academica posteriora fuerunt composita. Etenim ut a § 8 usque ad finem libri III. omnia sunt contracta in unum, ita priores partes, quarum singulae, imprimis secunda et tertia, tam pauca (II 26—30 et III 2—6) praebent, in unam disputationem contractae non maiora complecterentur quam quarta sola. Immo vero hoc modo altera pars mira quadam concinnitate cum altera congrueret. Itaque quamvis fidem habeamus Augustino, cum secunda disputatio incipit, asserenti c. Ac. II 25 domesticis negotiis impedito sibi paululum tantum temporis disputando restare, neque abhorreat a probabilitate quartum sermonem nimis longum a prandio (cf. III 7) usque ad noctem (III 44: „Hic postquam sermonis finem me fecisse adspexerunt, quamquam iam nox erat . . “) eiusdem diei confici potuisse, tamen illum, ut totam quaestionem ita partiretur, causis non in se positis inductum esse suspicor. Ergo cum Augustini explicationes earumque inter se conexus cum eis, quae Ciceronis Academicorum servata sunt, collaturus sim, id quoque mihi demonstrandum erit, Academicis posterioribus illum usum esse.

Proponenda erunt, quae sufficient ad id cognoscendum. Editio Academicorum prior paucis modo exemplaribus ferebatur, ut prosperae fortunae tribuamus, quod saltem „Lucullus“ servatus est. Augustinus vero Civ. Dei VI 2, cum Varronis laudem afferret, alteram editionem adhibuit. Sine dubio igitur habebat exemplar huius operis, quod discipulis quoque suis, Licentio et Trygetio, legendum commendabat. (cf. c. Ac. III 45). Quod nisi posterior editio fuisse non potest.

De hac Academicorum recensione, quae nobis nota sunt, Krischius pag. 129 sqq. collegit. Cicero Academicorum, Antiochi partes Varro suscepit (ad Att. XIII 12, 13, 16, 19, 22). Ad nostram quaestionem maxime refert, quomodo duae editiones inter se differant cognoscere. In posteriore non nulla partim esse deleta, partim addita ostenditur ad Att. XIII 13, 1: „Grandiores sunt omnino (sc. quattuor libri Academici) quam erant illi (sc. duo); sed tamen multa detracta.“ Nam verbo detrahendi Cicero non

qualia, sed quanta Academica fuerint, patefacere in animo habebat. Itaque, si modo vox „tamen“ explicanda est, illud „grandiores“ non solum ad argumentationis subtilitatem verum etiam ad rerum verborumque copiam referendum esse arbitror. Quodsi paulo post in § 2 legimus: „Multo tamen haec erunt splendidiora, breviora, meliora“, his verbis ille de iis ipsis partibus cogitat, in quibus sunt „multa detracta“. Cum autem Ciceronis responsio libri II. paene ad verba ex priore editione in posteriorem collata sit[1]), ille locus imprimis ad Varronis explicationes spectare videtur. Hoc confirmatur ep. ad Att. XIII 19: „... et absolvi, nescio quam bene, sed ita accurate, ut nihil posset supra, Academicam omnem quaestionem libris quattuor. In eis, quae erant contra ἀκαταληψίαν praeclare collecta ab Antiocho, Varroni dedi .... Sunt enim vehementer πιθανὰ Ἀντιόχεια, quae diligenter a me expressa, acumen habent Antiochi, nitorem orationis nostrum.“ Id quoque satis certo ex illis fragmentis sequitur, in librum IV. Ciceronis partes „Luculli“ collatas esse neque eas saltem amplificatas — immo haud alienum est a probabilitate quaedam esse exstincta —, in librum III. vero orationem Luculli eamque multis partibus commutatam. Fragmenta enim libri III. alia[2]) Luculli orationem attingunt, alia[3]) eaque plura nihil cum ea commune habent.

Iam propositum aggrediamur. Augustinus a Licentio rogatus c. Ac. II 11 sq. totam Academicorum doctrinam breviter complectitur. Qua in re quomodo egerit, ut cognoscatur, inspiciamus quae tum sequuntur. Adhortatur enim in § 13 Alypium, ut causam novae Academiae aperiat et distinguat ista nomina (sc. novae et veteris Academiae), pari modo atque Ciceronem Varro Ac. post. I 43[4]): „Tuae sunt nunc partes, qui ab antiquorum ratione desciscis ..., docere, quod et qua de causa discidium factum sit, ut videamus, satisne ista sit iusta defectio,“ postquam antea vetus Academia a Varrone ipso paucis verbis adumbrata est. Cum autem Alypius et Cicero ad eandem rem incitentur, videamus, quali ratione uterque progre-

[1]) Elucet ex fragmentis libri IV a Nonio servatis pag. 65[2], 69, 80, 99, 102, 107, 122, 162, 164, 189. Horum fragmentorum ne uno quidem aliud quidquam continetur, nisi quod Cicero in libro II ed. prioris Lucullo respondit, octo vero etiam ad verba concinunt cum ed. priore, tria tantum recedunt, sed ita, ut perpaucae voces commutatae sint (cf. Krischius pag. 186).

[2]) Plasberg. ed. Ac. pag. 93 et 97.

[3]) idem pag. 61 sq..

[4]) Hoc animadvertit Woerter pag. 89.

diatur. Ille enim incipit c. Ac. II 14 ita: „Novae Academiae discidium non tam contra veterem conceptum, quam contra Stoicos arbitror esse commotum. Nec vero discidium est putandum, si quidem a Zenone illatam novam quaestionem dissolvi discutique oportebat. Nam de non percipiendo, quamvis nullis conflictationibus agitata, incolens tamen etiam veterum Academicorum mentes sententia non impudenter existimata est. Quod etiam ipsius Socratis Platonisque ac reliquorum veterum auctoritate probatu facile est, . . . quamvis propriam de hac re disputationem in scholas suas non introduxerint[1].“ Causam defectionis similiter atque alter declarat Cicero Ac. I 44: „Cum Zenone, . . . ut accepimus, Arcesilas sibi omnem certamen instituit . . . . . earum rerum obscuritate, quae ad confessionem ignorationis adduxerant Socratem . . . et omnes veteres, qui . . nihil percipi posse dixerunt.“ Idem paulo post I 46 iudicat ita: „Hanc Academiam novam appellant, quae mihi vetus videtur, si quidem Platonem ex illa vetere numeramus, cuius in libris nihil adfirmatur et in utramque partem multa disseruntur, nihil certi dicitur.“ Apparet igitur ex his Ciceronis verbis veteres Academicos, quid vere sentirent, non dilucide proclamasse. Idem Augustinus § 14 putat: „nec ab illis enucleate aliquando quaesitum sit, percipi necne veritas possit.“ Cicero autem se de illorum sententiis non certo diiudicare posse significat Ac. II 74[2]): „quid dicam de Platone? qui certe tam multis libris haec persecutus non esset, nisi probavisset (sc. nihil sciri posse); ironeam enim alterius, perpetuam praesertim, nulla fuit ratio persequi.“

Pergit Cicero, cum certamen Academicorum recentiorum contra Zenonem esse institutum affirmaverit, Ac. I 45: „Itaque Arcesilas negabat esse quidquam, quod sciri posset, ... quibus de causis nihil oportere . . . neque adfirmare quemquam neque adsensione approbare cohibereque semper et ab omni lapsu continere temeritatem, ... neque hoc quidquam esse turpius quam cognitioni et perceptioni adsensionem approbationemque praecurrere“, quocum conferas id, quod Augustinus c. Ac. II 14 ad illa superiora adiunxit: „. . . Cum Zeno contenderet nihil percipi posse, nisi quod verum ita esset, ut dissimilibus notis a falso discerneretur, neque opinationem subeundam esse sapienti, atque id Arcesilas

---

[1]) Augustinum hoc loco ex Cicerone hausisse Zeller: „Die Philosophie der Griechen“ Vol. III, pars 1, pag. 593 sibi persuasit; item Woerter pag. 89.

[2]) Hirzel. quaest. III, pag. 220 adn. 1.

audiret, negavit huius modi quidquam posse ab homine reperiri, neque illi opinionis naufragio sapientis committendam esse vitam. Unde etiam conclusit, nulli rei esse adsentiendum", et c. Ac. II 11: „Cum ab eodem Zenone accepissent nihil esse turpius quam opinari, confecerunt callidissime, ut si nihil percipi posset, et esset opinatio turpissima, nihil unquam sapiens approbaret." Academicos autem Zenonis definitione visi comprehensibilis inductos esse elucet etiam ex Ac. II 113: „.. quis umquam dixit aut veteris Academiae..., vel id solum percipi posse quod esset verum tale, quale falsum esse non posset, vel sapientem nihil opinari? Certe nemo. Horum neutrum ante Zenonem magno opere defensum est." Maxime consideres velim eius modi dicendi, qui imagine adhibita de sapientis opinione ornate expressus reperitur c. Ac. II 14: „neque illi opinionis naufragio sapientis committendam esse vitam", similem quendam nobis occurrere Ac. II 68: „.. ut tam in praecipitem locum non debeat se sapiens committere."

Iam sequatur argumentum Zenonis c. Ac. II 11: „Sed verum non posse comprehendi ex illa Stoici Zenonis definitione arripuisse videbantur, qui ait id verum percipi posse, quod ita esset animo impressum ex eo, unde esset, ut esse non posset ex eo, unde non esset. Quod brevius planiusque sic dicitur, his signis verum posse comprehendi, quae signa non potest habere quod falsum est." Augustinum Ciceronis verba et sententias proferre dilucidum est ex huius definitione visi comprehensibilis Ac. II 18 explicata: „impressum effictumque ex eo, unde esset, quale esse non posset ex eo, unde non esset ... (qui enim potest quidquam comprehendi, ut plane confidas perceptum id cognitumque esse, quod est tale, quale vel falsum esse possit)." Addo Ac. II 33: „(Agnoscuntur reliqua visis), sed propria veri, non communi veri et falsi nota", et 34: „In eo (viso) si erit communitas cum falso, nullum erit iudicium, quia proprium communi signo notari non potest .... id enim quaero, quod ita mihi videatur verum, ut non possit item falsum videri." Deinde initio § 11 exposita: „Nam et Academicis placuit nec homini scientiam posse contingere earum dumtaxat rerum, quae ad philosophiam pertinent, nam cetera curare se Carneades negabat" iterum legimus c. Ac. III 22: „Ergone, ait, Carneades, dicturus es nescire te, utrum homo sis an formica? ... Dicamus ea nos nescire quae inter philosophos inquiruntur, cetera ad nos non pertinere." Tum comparentur et haec:

c. Ac. II 11:

Inde dissensiones philosophorum, inde sensuum fallaciae, inde pseudomeni et soritae[1]) in illius causae patrocinio viguerunt.

Ac. II 147:

.. Potius de dissensionibus tantis summorum virorum disseramus, quam de oculorum sensuumque reliquorum mendaciis, et de sorite aut pseudomeno[1]), quas plagas ipsi contra se Stoici texuerunt.

Videmus igitur § 11 breviter esse comprehensa, quae postea explicantur, eaque cum Ciceronis Academicis tantas similitudines praebere, ut ipsa quoque inde sumpta esse sequatur.

Nunc inspiciatur haec comparatio:

c. Ac. II 12:

Hinc eis **invidia** magna conflata est; videbatur enim esse consequens, ut nihil ageret, qui nihil approbaret. ... Hic illi inducto quodam probabili (cf. Ac. II 105: inducto probabili) nullo modo cessare sapientem ab officio adserebant, cum haberet, quid sequeretur; veritas autem sive propter naturae tenebras quasdam, sive propter similitudinem rerum vel obruta vel confusa latitaret.

(11) ... hoc (verum) prorsus non posse inveniri vehementissime ut convincerent, incubuerunt. Inde dissensiones philosophorum (etc. ut supra!)

Nat. Deor. I 1:

Qui autem mirantur nos hanc potissimum disciplinam secutos, his quattuor Academicis libris satis responsum videtur. (12) Nec tamen fieri potest, ut, qui hac ratione philosophantur, ii nihil habeant, quod sequantur: Dictum est omnino hac de re alio loco diligentius. Non enim sumus ii, quibus nihil verum esse videatur, sed ii, qui omnibus veris falsa quaedam adiuncta esse dicamus tanta similitudine, ut in iis nulla insit certa iudicandi nota. Ex quo exstitit illud, multa esse probabilia, quae quamquam ... iis sapientis vita regeretur. (13) Sed iam, ut omni me **invidia** liberem, ponam in medio sententias philosophorum ... Tum demum procax mihi Academia videbitur, si aut consenserint omnes aut erit inventus aliquis, qui quid verum sit, invenerit. Ac. II 61: tantis offusis tenebris; (II 122): latent ista omnia.

---

[1]) cf. Ciceronis Hortensii fr. 55: „Tum pseudomenon et soritam et totam dialecticam aut illudis aut increpas."

Res ipsa docet Augustinum ibidem esse Ciceronis imitatorem, cum uterque utatur iisdem fere verbis. Imprimis vero commemorandum est hic atque illic dici Academicos „invidia“ implicatos esse, cum quicquam comprehendi posse negavissent.

Porro Augustinus pariter atque Cicero existimat Academicos, qui se probabili a ceteris defenderint, sapientem vel eo, quod assensionem refrenaret, summam actionem ostentare affirmasse[1]):

c. Ac. II 12:	Ac. II 108:
Quamvis et ipsam refrenationem et quasi suspensionem assensionis magnam prorsus actionem sapientis esse dicebant.	Ego enim **etsi** maximam actionem puto repugnare visis .. credoque Clitomacho ita scribenti, Herculi quendam laborem exanclatum a Carneade, quod ut feram et immanem beluam, sic .. adsensionem ... extraxisset, **tamen** ... quid impediat actionem eius, qui probabilia sequitur ..“

Imitatio vel manifestior erit, si consideraverimus id, quod imagine suspensionem assensionis Augustinus vocat „refrenationem“, iam apud Ciceronem inveniri, qui assensionem appellat „feram et immanem beluam“.

Sed imitatio gravior fit eo, quod in eodem rerum conexu levitas de assensionis retentione sententiae in philosophia morali ostentatur:

c. Ac.:	Ac. II 110:
Unde dormientem semper et officiorum omnium desertorem sapientem suum Academici describere videbantur, quem nihil approbare censebant ... veritas ... confusa latitaret.	... utitur (sc. sapiens) probabilibus. Itaque non metuit, ne confundere omnia videatur et incerta reddere. Non enim, ... si quaesitum ex eo sit, ... item si de officio ... nescire se dicat[2]).

1) Indicavit Krischius pag. 188.

2) Ex variis comparationibus non leviora colliguntur: quamquam consensiones intercedentes inter Augustinum et Ac. II 105, 108, 110 sub oculos cadunt, hic vocabulum „invidia“, cum nisi imitatione alterius in § 12 libri II. c. Ac. non irrepserit, ex Lucullo, ubi non inveniatur, non potest hausisse. Sed operam demus, ut inquirendo eruamus, quemnam locum Academicorum Cicerò Nat. D. I 1 sqq. in animo habeat. Primum elucet ex quattuor libris numeratis editionem posteriorem respici. Deinde gravissimi momenti est, quod Cicero in hac ipsa parte, in qua tam apertissimas similitudines cum Augustini verbis sententiisque et earum conexu invenerimus, postquam secundum pro-

Accedamus ad alias comparationes:

c. Ac. II 15:[1])

Verum cum ita res se haberet, ... exstitit Antiochus, qui, ut nonnullis visus est, gloriae cupidior quam veritatis, in simultatem adduxit Academiae utriusque sen-

Ac. II:

(70) Nominis dignitatem videtur (sc. Antiochus), cum a re ipsa descisceret, retinere voluisse, quod erant, qui illum gloriae causa facere dicerent. (13)[2]) Primum mihi videmini, cum veteres physicos nominatis, facere idem quod seditiosi cives solent...

---

babile sapientis actionem institui declaravit, pergit sic Ac. II 105: „Haec si vobis non probamus, sint sane falsa; invidiosa certe non sunt. Non enim lucem eripimus; sed ea, quae vos percipi comprehendique, eadem nos, si modo probabilia sint, videri dicimus", cum paulo ante Ac. II 103 sensuum fallacitatem ita propugnaverit: „... non inesse in iis propriam, quae nusquam alibi esset, veri et certi notam", similiter atque l. a. de nat. deor.: „ut in iis nulla insit certa iudicandi .. nota (cf. pag. 31)." Neque igitur temere conficiatur, si modo tam graves consensiones inter Ac. II 103 sqq. et N. D. I 12 sq. satis intelleguntur, Ciceronem eum locum editionis posterioris spectare, qui respondet Ac. II 103 sqq..

Porro teneri necesse est locum, qui Augustino vocem „invidia" scribenti obversatus est. Primum perspeximus consensionem, quae est inter Zenonis definitionem ab Augustino c. Ac. II 11 et a Cicerone Ac. II 18 explicatam (pag. 30). Sequitur, ut Augustinus usus esse aut Ac. II 18 aut eadem parte editionis posterioris videatur, neque vero Catulo, cum verba „κατάληπτον" et „ἀκατάληπτον" hoc demum loco a Cicerone vertantur. (Reidius pag. 54; cf. pag. 52 adn.) Deinde etiam c. Ac. II 12 duos locos cum Luculli libri duobus, qui inter se finitimi sunt, congruentes statuimus. Tum illa conclusio, quae ex eo, quod nihil percipi potest, sequebatur, sapientem nunquam approbare (c. Ac. II 11), ex Ac. II 66—68, ubi copiose et dilucide exposita sit, facile depromi potuit. Itaque, quaecumque a Zenonis definitione de Academicorum placitis c. Ac. II 11 et 12 commemorantur, Lucullo libro continentur hoc excepto „Hinc eis invidia magna conflata est". Si nunc opinaremur Academica priora fontem Augustini fuisse, illam vocem „invidia" ex Catulo profluxisse sequeretur. Neque tamen haec opinio verisimilis est maxime hoc considerato: post illam sententiam, in qua „invidia" vox adhibita est, pergitur ita: „videbatur enim esse consequens, ut nihil ageret, qui nihil approbaret". Vocabulo autem „enim", cum causam afferat invidiae, indicatur hanc in Augustini mentem incidisse ex sententiis, quae subsequuntur. Hae sunt eae, quae cum duobus Luculli locis tam aperte concinunt. Paulo vero ante hos ipsos legimus „invidiosa". Quae cum ita sint neque „invidia" vocabulum in § 12 libri II. c. Ac. nisi imitatione Ciceronis illabi potuerit, satis mihi videtur patere eam partem editionis posterioris Academicorum ab Augustino esse exscriptam, quae respondebat Ac. II 105 sqq., ubi Cicero pro adiectivo „invidiosum" substantivum „invidia" collocavit.

[1]) Haec contulit R. Hoyer: „Die Heilslehre", Bonnae 1897, pag. 58; Krischius, pag. 166.

[2]) Hirzel. pag. 252.

tentias. Dicebat enim rem . . . ab opinione veterum remotissimam Academicos novos conatos inducere. In quam rem veterum physicorum implorabat fidem . . . .

Nec Arcesilae calumnia conferenda est cum Democriti verecundia. Et tamen isti physici raro admodum . . . exclamant abstrusa esse omnia, nihil nos sentire; maiorem autem partem mihi quidem omnes isti videntur nimis etiam quaedam affirmare.

Hoc imprimis Augustinum Ciceronis imitatorem prodit, quod modo usus voce „videri“ statim eandem dicendo repetere non dubitat.

Tum inter se comparentur haec:

c. Ac. II 16:

(16.) Probabile scisne ab ipsis etiam veri simile nominari?

Ac. II 32[1]).

(32.) Volunt enim probabile aliquid esse et quasi verisimile eaque se uti regula.

Uterque temere probabilitatem secutos ab eis secernit, qui antequam eam essent secuti, secum deliberaverint:

c. Ac. II 20:

Longe mihi videtur dissimilis Academicorum cautio ab huius quem descripsisti ineptia. Illi enim rationibus assequuntur, quod dicunt esse veri simile. Iste autem ineptus famam secutus est, cuius auctoritate nihil est vilius . . . Tales sunt qui dicunt: verum quidem non novimus; sed hoc, quod videmus, eius, quod non novimus, simile est.

Ac. II 35:

Quod est igitur illud vestrum probabile? Nam si quod cuique occurrit et primo quasi aspectu probabile videtur, id confirmatur, quid eo levius? . . . Sin ex circumspectione aliqua et accurata consideratione, quod visum sit, id se dicent sequi, tamen exitum non habebunt . . . Ut . . exsistat aliquid, quod et veri simile videatur et absit longissime a vero.

Quae ab Augustino c. Ac. II 22 explanantur, a materia antea tractata digrediuntur. Sed sententias ibidem expositas esse Ciceronis liquebit ex hac comparatione:

c. Ac. II 22:

De animo res agitur: qui se superaturum

Cic. Fin. I 47:

. . . ne temperantiam quidem propter se expetendam esse dicemus,

---

1) significatum a Woertero pag. 90 sq..

inimicitias omnium fallaciarum et ... quasi in regionem suae originis rediens ... atque ita temperantia velut coniuge accepta regnaturum esse praesumit securior rediturus in caelum.	sed quia pacem animis adferat et eos quasi concordia quadam placet ac leniat. Tusc. I 24: .... posse animos .... in caelum quasi in domicilium suum pervenire; ib. I 43: Accedit, ut eo facilius animus evadat ex hoc aere ... quam regionem cum superavit animus; ib. I 66: Animorum nulla in terris origo inveniri potest.

Neque vero tantae cum quattuor Ciceronis locis similitudines, quorum hoc uno tantum, Tusc. I 43, satis demonstratur Augustinum ibidem non solum sententias sed etiam verba illius referre, ita intellegi possunt, ut illi ob auctoris oculos ipsi versati sint. Cum similia quaedam c. Ac. I 23 inveniantur, in Hortensii argumentum Augustinum hoc loco relabi suspicor.

Similitudo autem veri paululum intermissa statim retractatur, nam in § 24 Alypius in memoriam revocat Ciceronem admonuisse, ne in verborum controversiam incidendum esset, itaque non licere Academicos oppugnare, qui verisimile sequantur, quod ab eis etiam probabile nominetur. Valde interest accurate inspicere, quae tum Augustinus respondeat: „Non est ista verborum, sed rerum ipsarum magna controversia". Horum simillima nobis occurrunt N. Deor. I 16: „Haec est enim non verborum parva, sed rerum permagna dissensio." Sequuntur c. Ac. II 24: „Non enim illos viros eos fuisse arbitror, qui rebus nescirent nomina imponere; sed mihi haec vocabula videntur elegisse et ad occultandam tardioribus et ad significandam vigilantioribus sententiam suam. Quod quare et quomodo mihi videatur, exponam, cum prius illa discussero, quae ab eis tamquam cognitionis humanae inimicis dicta homines putant . . . Si quid est autem, quod nunc disputabimus, adversus eos erit, qui Academicos inventioni veritatis adversos fuisse crediderunt." Exspectares Augustinum ab adversario vituperatum, quod Academicos verbo „verisimile" refellere studuisset, sui defendendi causa iterum contra eos dicturum esse. Immo patrocinium ipsorum eum suscipere animadvertimus, cum profiteatur eos aptos fuisse viros, qui rebus apta imponerent nomina. Imprimis ex verbis, „quae ab eis tamquam cognitionis humanae inimicis" et „quod nunc disputabimus, ad-

versus eos erit etc." nobis colligendum est, qui talia de illis exponat, eum ipsorum placita approbare. Augustinus autem ab Academicis dissentit, cum c. Ac. I 25 se reos citaturum eos esse pronuntiaverit. Quem ut plane intellegamus, necesse est adhibere Ac. II 60: „Volo . . . videre, quid invenerint (sc. Academici). Non solemus, inquit, ostendere. — Quae sunt tandem ista mysteria? aut cur celatis . . . sententiam vestram? — Ut, qui audient, . . . ratione potius quam auctoritate ducantur" et c. Ac. III 43: „Ait enim (sc. Cicero) illis morem fuisse occultandi sententiam suam nec eam cuiquam, nisi qui secum ad senectutem usque vixisset, aperire consuesse." Apparet igitur Augustinum c. Ac. II 24 Ciceronis ipsius sententiam proferre, quod etiam manifestius fit c. Ac. II 26: „Talia, inquit Academicus, mihi videntur omnia, quae probabilia vel veri similia putavi nominanda. Quae tu si alio nomine vis vocare, nihil repugno. Satis enim mihi est te iam bene accepisse, quid dicam, id est, quibus rebus haec nomina imponam. Non enim vocabulorum opificem sed rerum inquisitorem decet esse sapientem . . . Quid putatis . . Ciceronem, cuius haec verba sunt, inopem fuisse Latinae linguae?" Deinde sequitur ex hoc Academicorum fragmento adversarium Ciceronis idem argumentum ex verbo „verisimile" depromptum contra Academicos protulisse atque Augustinum in §§ 19 et 20, et Alypium, cum Ciceronis auctoritatem appellaret, eo, quod in refellendo veri simili de verbis Augustinum certasse declaravit, imitatum esse rationem, quam ille in Academicis persecutus est.

Nunc comparentur utriusque auctoris hi loci, quibus probabile enucleatur:

c. Ac. II 26:

Id probabile vel verisimile Academici vocant, quod nos ad agendum sine assensione potest invitare. **Sine assensione autem dico,** ut id, quod agimus, non opinemur verum esse, aut non id scire arbitremur, agamus tamen[1]) . . . Si nos quispiam

Ac. II 99. 104.

Etenim is quoque, qui a vobis sapiens inducitur, multa sequitur probabilia . . . neque percepta neque adsensa . . . huius modi igitur visis consilia capiet et agendi et non agendi. (104) Reliquit eiusmodi visa, quibus ad actionem excitemur, . . . **dum**

[1]) Hic auctorem artissime sequi Ciceronis quendam locum coniecit Zeller pag. 515 adn. 3; cf. Krischius pag. 188.

rogaret, credo, quod nos id scire negaremus, diceremus tamen ita videri.

sine adsensu ... Non enim lucem eripimus, sed ea, quae vos „percipi comprehendique" eadem nos, si modo probabilia sint, videri dicimus.

Vel maxime memorandum esse puto Augustini elocutioni „sine assensione autem dico" respondere Tullianam „dum sine adsensu" et utrumque praebere „dicimus videri" et „diceremus videri". Deinde haud parvi ponderis sunt, quae hunc locum c. Ac. II 26 sequuntur: „Talia, inquit Academicus," etc. (pag. 36): „quid putatis, inquam, Ciceronis, cuius haec verba sunt . .". Quodsi ille verborum continuationem a voce „talia" incipientem Ciceronis esse profitetur, apparet hunc eodem loco Academicorum illud probabile nescio quo modo explicasse. Itaque optimo iure puto concludi etiam haec, quae antecedunt, Augustinum ab illo sumpsisse. Neque tamen librum II. Ac. fontem fuisse intellegendum est, cum illud Ciceronis fragmentum ibidem non inveniatur.

Quamvis Augustinus ad Ciceronis verba allata „Talia ..." addiderit: „Satisne intellexistis, quomodo mihi ludicra illa ... de manibus excussa sint? Hic cum ambo se intellexisse respondissent ...," Licentius pergit c. Ac. II 27: „... nihil mihi videtur esse absurdius quam dicere se verisimile sequi eum, qui verum quid sit ignoret: ... Nam .. ego interrogatus, utrum ex ista temperie caeli nulla in crastinum pluvia cogatur, respondeo esse verisimile, qui me non nego nosse aliquid veri. Nam scio arborem istam modo argenteam fieri non posse." Ista vero ratio, qua Academia „verisimili" vocabulo oppugnatur, expressis verbis omnium consensu pro verborum controversia ex disputatione modo exclusa est. Sed videamus, quae tum sequantur: Tu vero, Carneades, vel quae alia Graeca pestis, ..., cum te nihil veri scire dicas, unde hoc veri simile sequeris? — At enim nomen ei non potui aliud imponere. — Quid ergo nobis disputandum est cum eo, qui nec loqui potest?" Cum illud ipsum offendit tum imprimis id, quod Licentius tam vehementer in Carneadem invehitur idque armis obsoletis, quasi non ignoret ab eo ipso verisimile introductum esse. At neque ipse Academicos legit, ut confitetur c. Ac. II 17: „Numquidquam, inquit (sc. Licentius), ... Academicos legi?", neque quicquam de eo, quod de Carneade dixit, hoc progrediente sermone audivit. Eo tantum modo Augustini ratio explicari posse mihi videtur, ut suspicemur hanc Carneadis vituperationem ex

iusto fontis loco sumptam esse, id est, cum nondum illa veri similis refutatio vocabulo ipso nixa verborum controversia iudicata esset, itaque ab Augustino post eam positam in sententiarum nexum male quadrare. Illum fuisse rerum in Ciceronis Academicis ordinem haud scio an facilius pateat, si contulerimus verba Licentii: „At enim nomen ei non potui aliud imponere“ cum his Ciceronis fragmenti pag. 36 allati: „ . . . quae tu si alio nomine vis vocare, nihil repugno . . . quibus rebus haec nomina imponam“. Neque vero ita Cicero se defendisset, nisi antea ab adversario vituperatus esset, quod „aliud nomen“ isti rei „imponere“ non valeret. Sed quamquam hoc quoque loco Augustinum esse imitatorem concedendum est, tamen frustra quaerimus in Academicis servatis locum, unde ille hauserit.

Denique inspiciantur haec comparata:

c. Ac. II 28:	Cic. (Aug. II 26):
hoc est utrum veri simile an probabile an alio si quo nomine appellari potest.	quae (probabilia) tu si alio nomine vis vocare, nihil repugno.
c. Ac. II 24. 26:	Cic. (Aug. II 26):
non enim illos viros eos fuisse arbitror, qui rebus nescirent nomina imponere. (26) Ut minus apta rebus imponeret nomina.	quibus rebus haec nomina imponam.

Ex his inter se collatis satis elucet Augustinum consulto elocutiones repetere, quas ipse Tullii esse significavit. Non parvi mihi videtur esse, quod illa Ciceronis elocutio „nomen imponere“ in Carneadis irrisione nobis occurrit, eoque magis commovemur, ut hanc Ciceronis Academicis attribuamus[1]).

---

[1]) Fortasse ista ratio concludendi etiam aliis locis confirmatur. Praetermitto in § 24 dicendi genus „nomen imponere“ exstare in enuntiato, quod se aggregat ad illud „Non est ista verborum . . .“, cuius elocutionis N. D. I 16 simillimam inveniri pag. 35 vidimus. Quae vero tum illic exponuntur, sc. Academicos sententiam suam celare consuesse, ea ex Cicerone deprompta esse meo iure respectis Ac. II 60 et c. Ac. III 43 supra pag. 36 affirmavi. Conferamus nunc, quae Augustinus de illis dicit c. Ac II 24: „contra eos ipsos non invitus armabor, si non occultandae sententiae suae causa, ne ab eis temere pollutis mentibus et quasi profanis quaedam veritatis sacra proderentur“ cum his c. Ac. II 29: „Responde, utrum tibi videantur Academici habuisse certam de veritate sententiam et eam temere ignotis vel non purgatis animis prodere noluisse.“ Ergo hic quoque Augustinus tam mire et similiter verba

Iam nos ad perquirendem librum tertium convertamus. Augustinus disputationis initium facit adulescentes admonendo, de qua re quaerere in fine prioris sermonis inter se convenerit. Quaesitum enim erat, utrum ex Academicorum argumentis probabile esset an non, percipi nihil posse ac nulli rei esse assentiendum. Priusquam vero rem ipsam aggreditur, „de spe, de vita, de instituto" ei placet exponere §§ 2—4 et quaerere, num homini ad sapientiam adipiscendam fortuna opus sit. Hoc alienum esse a proposito Ohlmannus suo iure arbitratus pag. 74 eiusdem auctoris libri „de beata vita" commemoravit § 25, ubi eadem de re agitur. Quam paragraphum, cum ex Hortensio Ciceronis esse sumptam pag. 50—62 demonstraverit, pag. 75 addit: „Utrum autem quae c. Ac. III 2—4 exponuntur una cum illis sententiis de vit. b. 25, quas ex Hortensio desumptas esse supra demonstravimus, in Hortensio explanata sint, an nullo Augustinus usus sit fonte alieno, de hac re certi quidquam constituere non audeo". Sed tamen certiora num proferri possint, videamus. Primum haec inter se comparentur.

---

sui ipsius libri iterat idque eius iterum partis, quam e Ciceronis Academicis sumptam esse aliis de causis iam suspicati sumus. Huc accedit quod priore loco scripta sunt: „veritatis sacra .. prodere" et Ac. II 60: „quae sunt ... ista mysteria?" Licet igitur videre ex Augustini sua ipsius imitatione, quantopere sibi Ciceronem exemplar proposuerit. Neque male cum eius ratione convenire existimo, quomodo de illo Academico ipse iudicet c. Ac. II 26: „Quid putatis Ciceronem, cuius haec verba sunt, inopem fuisse Latinae linguae?" Ceterum illam elocutionem (II 24) „ne ab eis temere pollutis mentibus et quasi profanis quaedam veritatis sacra proderentur", qua summa ceterorum philosophorum contemptio exprimatur, dilucidum est non posse exortam esse nisi in animo eius, qui ipse Academicus fuit, itaque a mente Augustini eam pronuntiantis prorsus dissentire.

Ne vero quispiam fortasse me ita argumentantem audaciae cuiusdam coarguat, quartum huius generis exemplum afferam:

c. Ac. II 12:	c. Ac. III 1:
(cum) veritas... vel obruta vel confusa latitaret.	quoniam (veritas) vel lateret obruta vel confusa non emineret.

Porro in eodem enuntiato c. Ac. III 1 legimus: „id eum sequi, quod probabile ac veri simile occurreret" et Ac. II 127: „si .. aliquid occurrit, quod veri simile videatur" et Off. III 30 „quodcumque maxime probabile occurrat."

Tales similitudines fortuitae non possunt esse; immo eis luculenter demonstratur Augustinum quasi pendere Ciceronis verbis. Nostra autem argumentatio hic quoque eo corroboratur, quod repetuntur verba eius partis, in qua vel gravissimas consensiones cum Ciceronis quibusdam locis pag. 35 sqq. constituimus.

c. Ac. III 2 sqq.:

Quare semper fuit sententia mea, sapienti iam homini nihil opus esse; ut autem sapiens fiat, plurimum necessariam esse fortunam: . . . aut concedendum est etiam in **omni** sapientis vita eam (sc. fortunam) **dominari**, cum et ipse sapiens iis, quae corpori necessaria sunt, non indigere non possit. (3) . . . ita quisquis ad sapientiae portum . . . pervenire voluerit, quoniam . . ., si caecus ac surdus fuerit, non potest, quod positum est in potestate fortunae, necessariam mihi videtur ad id, quod concupivit, habere fortunam. Quod cum obtinuerit, quamvis putetur indigere quibusdam rebus ad corporis valetudinem pertinentibus, illud tamen constat non his opus esse, ut sapiens sit, . . . Immo si caecus ac surdus sit, et sapientiam adipiscendam et ipsam vitam . . . contemnet.

Fin. V:

(12) Sed cum vita beata quaeratur idque sit unum, quod philosophia spectare debeat, sitne ea **tota** sita in potestate sapientis an possit aut labefactari aut eripi rebus adversis, in eo non numquam variari inter eos et dubitari videtur. Quod maxime efficit Theophrasti de beata vita liber, in quo multum admodum fortunae datur. Quod si ita se habeat, non possit beatam vitam praestare sapientia. (53) . . . qualis futura sit vita sapientium, . . . nullum necessarium vitae cultum aut paratum requirentes . . .

Tusc. V 25:

Vexatur Theophrastus, quod in Callisthene suo laudarit illam sententiam: Vitam regit fortuna, non sapientia . . . Recte id quidem, sed nihil intellego dici potuisse constantius. Si enim . . . nonne consentaneum est plus fortunam, quae **domina** rerum sit et externarum et ad corpus pertinentium, . . . valere. (111) Ex quo effici putat ille, ut sapiens semper beatus sit. Etiamne, si sensibus carebit oculorum, si aurium? Etiam, nam ista ipsa contemnit.

Non igitur solum eaedam sententiae his locis occurrunt, sed etiam tam similes voces, ut negem fieri potuisse, ut Augustinus, qui De Vit. b. 25 ab Hortensio mutuatus est, hoc tantum loco usus tales consensiones cum Fin. V 12 et Tusc. V 25 praeberet. Immo ex ea re, quod in §§ 2—4 libri III. c. Ac. non tam cum § 25 libri de vit. b. quam imprimis cum duobus Ciceronis locis memorabiles verborum rerumque similitudines inveniuntur, suspicandum est Augustino librum Ciceronis ob oculos versatum esse. Quantopere a fonte pendeat, cognoscas praecipue ex hoc exemplo in

§ 3 allato: „Nam ut sine navi ... *Aegaeum* mare nemo transmittit, ... ita quisquis ad sapientiae portum .. voluerit, ... necessariam mihi videtur ... habere fortunam.“ Etenim mirum puto ab Augustino exempli causa mare *Graecum* afferri, quasi illa aetate hoc celebrius alio quovis Romano fuerit. Magis utique erat consentaneum eum, qui in Italia Cassiciaci hanc disputationem haberet, mare quoddam occidentis orbis nominare. Itaque ne hoc quidem loco Augustini rationem plane intellego nisi eum a Cicerone illud exemplum suspicatus hausisse, quem ipsum Graecis auctoribus in scriptis philosophiae usum esse satis constat.

Quae cum ita sint, facile adduci possumus, ut credamus illum Hortensii sententias hic proferre. Eo quoque talis opinio confirmetur, quod ut hic ita in Hortensio de fortuna dictum erat.[1]) Verumtamen, si illo modo concluderemus, unum mihi explicari non posse videretur. Quae enim §§ 2—4 disseruntur, ad sapientem et sapientiae studiosum pertinent, ut aperte exprimitur in § 3: „Dicis ergo .. fortunam esse necessariam studioso sapientiae, sapienti vero negas.“ § 5 autem ita incipit, ut quaeratur, quid inter sapientem et philosophum distet. Quamquam igitur §§ 2—4 a re aliena praebent, tamen eas quodammodo cohaerere cum §§ 5 sqq. concedendum est. Hoc quo magis intellegatur, prius eorum, quae § 5 continentur, apud Ciceronem similia inquiramus. Cuius esse imitatorem ibidem Augustinum primum valde apparet ex hac comparatione:

c. Ac. I. a.:	Tusc. IV:	Tusc. V:
Volo ... aperias, quid tibi inter *sapientem* et *philosophum* distare videatur? — Sapientem a studioso, ait, nulla re differre arbitror: nisi quod quarum rerum in sapiente quidam *habitus* inest, earum est in studioso sola *flagrantia* .... Alter *scit* sapientiam, alter	(44) Philosophiae .. principes numquam in suis studiis tantos progressus sine *flagranti* cupiditate facere potuissent. (71) *Philosophi* sumus exorti, et auctore quidem nostro Platone, ... qui *amori* auctoritatem tribueremus. (72) Stoici vero *et*	(8) ... omnes, qui in rerum contemplatione studia ponebant, sapientes et habebantur et nominabantur, idque eorum nomen usque ad Pythagorae manavit aetatem ..; cuius ingenium .. cum admiratus esset Leon, quaesivisse ex eo, qua maxime arte confideret; at illum *artem*

---

[1]) pag. 15.

scire desiderat... Si enim .. nihil inter sapientiae studiosum et sapientem interest, nisi quod iste amat, ille autem habet sapientiae disciplinam....	sapientem amaturum esse dicunt.	quidem se scire nullam, sed esse philosophum. Admiratum Leontem ... quaesivisse, quinam essent philosophi, et quid inter eos et reliquos interesset..(9) hos se appellare sapientiae studiosos (id est enim philosophos.)

Ergo non dubium est quin in hac quoque paragrapho Augustinus et res et verba Ciceronis imitatus sit. Deinde in sapiente quarundam rerum esse habitum ab illo adumbratum mihi videtur esse Fin. IV 37: „Vos ..., quia virtus ... altissimum locum in homine tenet, et quod eos, qui sapientes sunt, ... perfectos putamus .... Sic igitur in homine perfectio ista ... in virtute laudatur .... Idem facit (sc. natura) in homine, cum eum ad rationis habitum perduxerit" et Ac. I 38: „... hic (sc. Zeno) omnis (sc. virtutes) in ratione ponebat ...; nec virtutis modo usum sed ipsum habitum per se esse praeclarum." Neque vero illarum sententiarum vestigia in Academicis, quae quidem supersunt, inveniamus nisi illud leve in Ac. I 38. Sed certo diiudicare tum demum poterimus, cum Augustini argumentationem in tota § 5 usurpatam inspexerimus. Itaque inter se conferantur haec:

c. Ac. III 5:	Ac. II:
Mihi nihil aliud videtur interesse (inter sapientem et studiosum), nisi quod alter scit sapientiam, alter scire desiderat... et nosse falsum nemo potest: novit igitur sapiens veritatem, quem disciplinam sapientiae habere in animo .. confessus es..... Mihi autem nondum **quidem** a **me** inventam, inveniri tamen posse a sapiente videatur.	(103) quod ... nihil falsi perceptum et cognitum possit esse. (26) nemo invenit falsa. (115) Non **me quidem**, inquit, sed sapientem dico scire. — Optime! Nempe ista scire, quae sunt in tua disciplina.
	112:
ne... in principalis illius quaestionis campis tua equitaret oratio.	Cum sit enim campus, in quo exsultare possit oratio.

Dilucidum igitur est agi § 5, utrumnam sapiens percipere possit veritatem an non, id est iam tractatur id, quod

Augustinus in fine libri II. de Academicis quaerere decrevit. Imprimis autem velim animum intendas in illum locum Ac. II 115 modo allatum. Quo saepius huius verba legis, eo maiorem mea quidem opinione praebent offensionem, cum Cicero non Lucullum sed tertium nescio quem oppugnet. Neque enim orationis ab illo §§ 13 sqq. habitae locus quidam respicitur, cum non invenias, ubi tali vel simili modo Lucullus expresserit non se sed sapientem scire suam disciplinam. Tum hunc locum intellegemus, si meminerimus, quod Hirzelius[1]) excussit, Ciceronem in Academicis Antiocho et Philone usum esse auctoribus. Neque igitur ibidem Cicero Lucullo sed Philo Antiocho obloqui videtur[2]). Cum vero illis verbis ponatur dogmaticos affirmare sapientem scire sapientiae disciplinam, putamusne Augustinum, qui idem argumentum profert, exiguis tantum significationibus ex Ac. II 115 adscitis totam argumentationem § 5 subtiliter persecutum ex se ipso protulisse? Minime hoc est probabile, imprimis quoniam in ceteris quoque huius partis explicationibus, quarum nullae similes nobis occurrunt in Academicis servatis, certa Ciceronis vestigia invenimus. Ergo perspicuum est perditum quendam locum eumque Academicorum fontem fuisse. Quodsi gravitas potissimum argumenti, quo Augustinus adversario studet persuadere sapientem scire veritatem, in eo posita est, quod sapiens et philosophus inter se differunt, id ipsum autem iam in fonte esse explanatum ex superioribus elucet, eo magis intellegemus cohaerere §§ 2—4 cum §§ 5 sqq. Sin tamen opineris §§ 2—4 Hortensio tribuendas esse, concludere necesse sit, cum § 5 Academicorum materia tractetur, ex duobus Ciceronis dispersis locis Augustinum argumentum gravissimum eruisse. Immo hoc fontis fuisse neque ad duos libros sed unum modo referri mihi videtur. Itaque habemus, cur etiam illas paragraphos in fragmentis Academicorum numerandas esse non temere opinemur. Neque fortuitum potest esse, quod Augustinus in iisdem vel maxime cum Fin. V 12 consentit, quem librum ab Antiocho esse depromptum Hirzelius evicit[3]). Eundem autem esse fontem Academicorum quoque iam novimus.

Convertamur ad alias comparationes. De merito philosophiae dicitur:

---

1) Quaest. III 251 sqq..
2) Aliter hunc locum Loercher pag. 283 intellegit.
3) Quaest. II, pag. 567—721.

c. Ac. III 7:	Tusc. V 6:
si tamen aliquid iam de te .. philosophia meretur.	philosophia .. tantum abest, ut proinde, ac de hominum est vita merita, laudetur.

Vera sapientia in ratione nititur:

c. Ac. III 9. 11:	Leg. I 22:
Ratio ... talem tibi prodit esse sapientem, qui sapientiam non ignoret: (11) Non enim aliam debemus ... recte vocare sapientiam.	quid est autem non dicam in homine, sed in omni caelo atque terra ratione divinius? quae cum adolevit atque perfecta est, nominatur rite sapientia.

Ab Augustino interrogatus Alypius respondet se propterea non posse aut affirmare aut negare, quod sibi videatur tantum. Quo argumento Cicero quoque se defendit.

c. Ac. III 11:	Ac. II 104:
Cum me interrogares, .. quid mihi de Academico sapiente videatur, respondi videri mihi ... ne .. temere me scire affirmarem ... Dixisti enim ideo te non aut aiere aut negare, ne temere te scire dicas.	cum (sc. sapiens) se a respondendo, ut aut adprobet quid aut inprobet, sustineat, ut neque neget aliquid neque aiat. (105) Ea, quae vos percipi comprehendique, eadem nos .... videri dicimus.

Deinde similes vel potius eaedem sententiae apparent in hac comparatione:

c. Ac. III 10 sqq.:	Ac. II 24 sqq.:
(10) Aug.: Tibi autem videtur (sc. sapiens) scire sapientiam, quod non est utique nihil scire. Simul enim placuit ... scire falsa neminem posse: unde illud iam restat, ut ... contendas nihil esse sapientiam. (11) Alyp.: Etsi concedam ... sciri a sapiente sapientiam et aliquid inter nos deprehensum, quod sapiens possit percipere, tamen nequaquam mihi occurrit Academicorum labefactata omnis	(24) Ipsa vero sapientia, si se ignorabit sapientia sit necne, quo modo primum obtinebit nomen sapientiae? .. cum vero dubitabit, ... qui poterit esse sapientia? (26) At nemo invenit falsa. (27) Sapientiae vero quid futurum est, quae neque de se ipsa dubitare debet neque de suis decretis ... non potest igitur dubitari, quin decretum nullum falsum possit esse sapientis. — (28) Ex hoc

intentio. Prospicio enim defensionis eis locum non minimum reservatum ....., cum hoc ipso causae suae deesse non possint, quo convictos putas. Dicent enim usque adeo nihil comprehendi nullique rei assensionem praebendam, ut etiam hoc de nihil percipiendo nunc ista conclusione sibi extortum sit ..... Forte enim aliquando contra hoc quoque nonnihil vel a se vel a quopiam reperiri posse, quod acute probabiliterque dicatur. (12) Aug.: Videte, ... bona mihi quot et quanta provenerint. Primum est, quod Academici iam sic convicti esse dicuntur, ut nihil eis restet ad defensionem, nisi quod fieri non potest. Quis enim hoc aut intellegere ullo modo, aut credere valeat eum qui victus sit, eo ipso quo victus est, victorem se esse gloriari?	illud est natum quod postulabat Hortensius[1]), ut id ipsum saltem perceptum a sapiente diceretis nihil posse percipi. Sed Antipatro hoc idem postulanti, cum diceret ei, qui adfirmaret nihil posse percipi, unum tamen illud dicere percipi posse, consentaneum esse, ... Carneades acutius resistebat .... qui enim negaret quicquam esse quod perciperetur, eum nihil excipere; ita necesse esse ne id ipsum quidem, quod exceptum non esset, comprendi .. ullo modo posse. (29) Antiochus ad istum locum pressius videbatur accedere. quoniam enim id haberent Academici decretum ... nihil posse percipi, non debere eos in suo decreto sicut in ceteris rebus fluctuari, praesertim cum in eo summa consisteret .... hoc igitur modo potius erat ab his postulandum, ut hoc unum saltem, percipi nihil posse, perceptum esse dicerent.

Cum ratio Academicos oppugnandi ab Augustino ibidem adhibita quamvis subtilissima tamen eadem atque Luculli sit, quaecumque ille hoc loco profert, ea esse hausta ex fonte conicio. Tales autem sententias, quarum similes in Academicis servatis non leguntur, in hac parte libri III. invenias. Alypius enim § 9 ab Augustino pressus, ut concedat sapientem scire sapientiam, respondet: „Si invenire sapiens, qualem ratio prodit, queat, potest mihi videri scire sapientiam“ et Augustinus contra: „Ratio igitur talem tibi prodit esse sapientem, qui sapientiam non ignoret; et recte istuc. Non enim aliter decebat videri tibi.“ Tullianas sententias hoc loco pronuntiari ex comparationibus quibusdam

[1]) sc. in priore Academicorum libro.

pag. 44 perspeximus. Sed videamus, ad qualem finem disputatio spectet: Adversarius ab Augustino interrogatus c. Ac. III 11: „num possit homini talis provenire sapientia, qualem ratio prodit", opponit nisi a deo homini non posse veritatem ostendi, cui opinioni alter prorsus assentitur. Ergo ambo consentiunt sapientem, qualem ratio prodat, non posse inveniri et sapientiam ipsam in deo solo esse. Hoc autem, quamquam summa disputationis est, nusquam nobis occurrit in Lucullo libro excepto fortasse eo, quod leviter tantum significatum est in § 122: „Latent ista omnia, Luculle, crassis occultata et circumfusa tenebris, ut nulla acies humani ingenii tanta sit, quae penetrare in caelum possit." Haec transisse in alteram editionem Varroni inscriptam paene non mutata apparet ex fragmento Martiani Capellae V 517: Cicero .. in Academicis: „latent ista omnia, Varro, magnis obscurata et circumfusa tenebris[1])." Nihil ad rem valent, quae a Lucullo II 30 dicuntur: „.... ratio perfecta his gradibus ad sapientiam pervenit." At cum Alypius Academicorum partes sequatur, sententias ab eo in §§ 10 sqq. defensas et ab Augustino approbatas (III 13: „quis autem verum possit ostendere, abs te, Alypi, dictum est, a quo ne dissentiam, magno opere mihi laborandum est ..") non a Lucullo aut a Varrone sed a Cicerone ipso explanatas esse ego quidem arbitror[2]).

Deinde imitatio Ciceronis demonstratur his comparationibus. Hic atque illic conceditur verum esse neque tamen inveniri posse.

c. Ac. III 12:	Ac. II 111:
De quo eos consulo, utrum negent, id est, utrum eis placeat veritati assentiendum non esse. Nunquam hoc dicent, sed eam non inveniri asseverabunt.	Id ita esset, si nos verum omnino tolleremus. non facimus; nam tam vera quam falsa cernimus. Sed ... percipiendi signum nullum habemus.
c. Ac. III 13:	Lael. 20:
Siquidem amicitia rectissime... definita est rerum humanarum et divinarum cum benevolentia et caritate consensio.	Est ... amicitia nihil aliud nisi omnium divinarum humanarumque rerum cum benevolentia et caritate summa consensio.

---

1) Iam cognovit Krischius l. a. pag. 186/87.

2) Augustini quidem ipsius sententia videtur esse, veritatem nisi a deo non posse ostendi.

c. Ac. III 14:	Fin. I 28 sq.:
Si tamen hoc, quod interrogationibus te acturum esse significas, in orationem perpetuam.. malis convertere, ne vere ut pertinax adversarius ... abs te ... excrucier.	Certe ... pertinax non ero. ... (29) Sed uti oratione perpetua malo quam interrogare aut interrogari.

In § 14 Augustinus disponit materiam iam tractandam: „.. pauca contra eos disseram, quibus videntur disputationes illae adversari veritati. Deinde, ut mihi videtur, ostendam, quae causa fuerit Academicis occultandae sententiae suae.“ Sed placet ei in § 15 prius exponere, quare „amatores Academicorum gloriari nimium soleant“. „Nam est,“ pergit, „in libris Ciceronis, quos in huius causae patrocinium scripsit, locus quidam, ut mihi videtur, mira urbanitate conditus, ut nonnullis autem, etiam firmitate roboratus. Difficile est prorsus, ut quemquam non moveat, quod ibi dictum est, Academico sapienti ab omnibus ceterarum sectarum, qui sibi sapientes videntur, secundas partes dari, cum primas sibi quemque vindicare necesse sit. Ex quo posse probabiliter confici, eum recte primum esse suo iudicio, qui omnium ceterorum iudicio sit secundus.“ Quod deinde § 16 copiose explanatur. Hic locus Ciceronis, cum in Academicis servatis non inveniatur, in fragmentis perditorum collocatus est. Sed velim cum his conferas Ac. II 7: „Restat unum genus reprehensorum, quibus Academiae ratio non probatur. quod gravius ferremus, si quisquam ullam disciplinam philosophiae probaret praeter eam, quam ipse sequeretur.“ Cum his praefationis verbis si c. Ac. III 15 contuleris, facile intelleges id, quod secundum Augustini verba in sermone perdito dictum erat, primas partes sibi quemque vindicare necesse esse, Ac. II 7 quasi pro explorato haberi, cum illius iudicio unusquisque suam ipsius disciplinam solam probet itaque Academicorum rationem a ceteris vituperari consentaneum sit.

Iam pergamus utrumque auctorem inter se comparare. Congruunt hi loci:

c. Ac. III 17:	Ac. II 9:
Ego ... hoc cum isto commune habeo, quod dubitat, quis vestrum verum sequatur. Sed habemus etiam proprias sententias ... Nam mihi incertum est	Nam quod dicunt omnia se credere ei, quem iudicent fuisse sapientem, probarem, si id ipsum rudes et indocti iudicare potuissent (statuere enim qui sit

quidem, quamvis audierim decreta vestra, ubi sit verum: sed ideo, quod qui sit in vobis sapiens ignoro.

sapiens vel maxime videtur esse sapientis.)

Hac comparatione liquet Augustinum sequi Ciceronis sententiam, qua exprimitur vel ad id ipsum, qui sit sapiens, cognoscendum homini opus esse sapientia. Eaedem sententiae atque c. Ac. III 17 a Cicerone pronuntiantur Ac. II 117: „Quaero tamen, quem sequatur. Finge aliquem nunc fieri sapientem, nondum esse; quam potissimum sententiam eliget et disciplinam? etsi quamcumque eliget, insipiens eliget“ et Ac. II 132: „hic igitur neutri adsentiens, si nunquam, uter sit sapiens, adparebit, nonne utroque est prudentior? ... liceat tandem mihi considerare, utram sententiam sequar ... Contineo .. me, ne incognito adsentiar, quod mihi tecum est dogma commune,“ qua in collatione imprimis animadvertendum est, quod uterque eiusdem rei exprimendae causa voce „commune“ utitur.

Inter se conferantur etiam haec de gloria sapientis prolata:

c. Ac. III 17. 18:

Ea igitur gloria gaudet sapiens, in qua illi stultus aequatur? (18) Sed ... secedamus in scholam Platonis .. Hic iam non de gloria, quod leve ac puerile est, sed de ipsa vita et de aliqua spe animi beati .. disseramus.

Tusc. III 8:

Ne ista gloriosa sapientia non magni aestimanda est, siquidem non multum differt ab insania. Quid? tibi omnisne animi commotio videtur insania? ... Maioribus quoque nostris hoc ita visum intellego multis saeculis ante Socratem, a quo haec omnis, quae est de vita et de moribus, philosophia manavit ... negant (philosophi) .. stultum quemquam his morbis vacare.

c. Ac. III 18:

Tale ... visum comprehendi .. posse, quale cum falso non haberet signa communia.

Ac. II 33:

Reliqua (agnoscuntur) visis, sed propria veri non communi veri et falsi nota .. (34) In eo (sc. viso) .. si erit communitas cum falso, nullum erit iudicium, quia proprium in communi signo notari non potest.

ib. 19:

Inducendi sunt sapientiae dulcissimo nomine.

Tusc. I 94:

Nihil est homini prudentia dulcius.

c. Ac. III 20:	Tusc. II 13:
Venite ... ad philosophiam, magnus hic fructus est.	(Philosophia) serit, quae adulta fructus uberrimos ferant.

ib.:	Fin. III 23:
Quid .. homini sapientia carius?	Minime mirum est .. sapientiam nobis cariorem fieri ...

In § 18 Augustinus ad Zenonis definitionem transit, ex qua Academici effecerint nihil posse percipi, et quasi pro his dicit c. Ac. III 19: „Quomodo illum non permoveret (definitio), si et nihil tale inveniri potest, et nisi quid tale est, percipi non potest?“ Pari modo Cicero se defendit Ac. II 113: „quaero enim, quid sit, quod comprendi possit ..... tale verum quale falsum esse non possit . nihil eius modi invenio.“ Statim autem deflectit Augustinus ad illud, quod §§ 5 sqq. affirmatum est, sapientem non nihil scire, idque imprimis sibi concludendum esse putat in philosophia morali: „hoc si ita est, dicendum potius erat non posse in hominem cadere sapientiam, quam sapientem nescire cur vivat, ... quemadmodum vivat, .. utrum vivat; postremo, quo perversius ... dici nihil potest, simul et sapientem esse et ignorare sapientiam. Quid est durius, hominem non posse esse sapientem an sapientem nescire sapientiam?“ Sin inspexeris Ac. II 24 sqq.: „Ipsa vero sapientia si se ignorabit, sapientia sit necne etc. (vide pag. 44 sq.) .. (29) Nec sapientem posse esse, qui aut cognoscendi esse initium ignoret aut extremum expetendi, ut aut unde proficiscatur aut quo perveniendum sit nesciat; haec autem habere dubia .... abhorrere a sapientia plurimum“, intellegas Ciceronem pariter atque illum, postquam de sapientia universa egit, mores perstringere, ut doceat, quam absurdum sit sentire nihil posse ab homine sciri.

§ 21 definitio Zenonis accuratius tractatur. Ibidem scriptum invenimus: „Id visum ait (Zeno) posse comprehendi, quod sic appareret, ut falsum apparere non posset. Manifestum est nihil aliud in perceptionem venire. Hoc et ego, inquit Arcesilas, video, et hoc ipso doceo nihil percipi. Non enim tale aliquid inveniri potest.“ Talis autem Augustini ratio ipsos Graecos quasi secum disputantes inducendi eo magis mentione digna est, quod eam Cicero ipse quoque idque in eadem re explicanda secutus

est Ac. II 77[1]): „Ille (Zeno) credo nihil opinaturum (sc. sapientem), quoniam esset, quod percipi posset. quid ergo id esset? „visum“ credo. „quale igitur visum?“ tum illum ita definisse: .... post requisitum etiamne si eiusmodi esset visum verum quale vel falsum? Hic Zenonem vidisse... nullum esse visum, quod percipi posset, si id tale esset ab eo quod est, ut eiusmodi ab eo, quod non est, posset esse. recte consensit Arcesilas.“ Deinde quod post illum dialogum inter Zenonem et Arcesilam quasi habitum c. Ac. l. a. Academicis opponitur verbis: „Quamquam et ipsi stulto nihil responderi posse arbitror, si tibi dicat, ut illo memorabili acumine tuo hanc ipsam Zenonis definitionem refellas ..“, eius simile quoddam scriptum invenimus Ac. II 16: „.... cuius (Arcesilae)... ratio floruit.. acumine ingenii“; quae consensio vocabulorum eo mihi videtur esse memorabilis, quod a Lucullo quoque isto „acumine“ modo adhibito Zenonis definitio in § 17 tractatur.

Qua definitione utrumque, ut Academicorum decretum nihil percipiendi labefactetur, pari modo uti vides his comparatis:

c. Ac. III 21:	Ac. II 43:
Sed fac illam cedere versutiae tuae. Utar complexione securissima. Aut enim vera est aut falsa (sc. definitio): si vera, bene teneo; si falsa, potest aliquid percipi, etiam si habeat communia signa cum falso.	Quid enim agant, si, cum aliquid definierint, roget eos quisqiam, num illa definitio possit in aliam rem transferri quamlubet? si posse dixerint, quid dicere habeant, cur illa vera definitio sit? si negaverint, fatendum sit, quoniam ... vera definitio transferri non possit in falsum, quod ea definitione explicetur, id percipi posse; quod minime illi volunt.

c. Ac. ib.:	Ac. ib.:
Itaque comprehensibilibus rebus .. definitio est.	Definitiones ... fidentium est hominum illa vera et firma et certa esse quae tutentur, non eorum, qui clament nihilo magis vera illa esse quam falsa.

Quamquam his collatis perspicuum est Augustinum valde pendere ex Cicerone, tamen in § 21 ille subtiliora quam auctor in Acad. libro II. praebens acute concludit: „Prorsus ego illam

[1]) Hos duos locos inter se congruere indicaverunt Krischius pag. 187 et Leder pag. 22.

definitionem verissimam iudico. Aut enim possunt percipi et falsa, quod vehementius Academici timent et re vera absurdum est. aut nec ea possunt, quae sunt falsis similia: unde illa definitio vera est." Neque tamen aliter agit atque Lucullus ipse se acturum esse Ac. II 18 professus est: „Quare omnis oratio contra Academiam suscipitur a nobis, ut retineamus eam definitionem, quam Philo voluit evertere." Quod cum ab Augustino clarius demonstretur quam Ac. II 43, etsi fieri potuisse concedendum est, ut luculentius ipse neque alterius auxilio argumentaretur, suspicor a Varrone accuratius definitionem Academicorum post. eodem loco defensam esse, unde c. Ac. III 21 profluxerit[1]).

Augustinus, quamquam Academicos satis adhuc convictos esse putat c. Ac. III 22, nonnulla adiungere in animo habet „ad victoriae satietatem". „Duo sunt," inquit, „quae ab Academicis dicuntur, ... „Nihil posse percipi" et „Nulli rei debere assentiri". De assentiendo mox alias, nunc pauca de perceptione dicemus." At Lucullum ipsum quoque disputationem contra Academicos de percipiendo et assentiendo disponere eius significatur verbis Ac. II 36 sq.: „.. de perceptione hactenus ... (37) his satis cognitis, quae iam explicata sunt, nunc de adsensione atque adprobatione ... pauca dicemus." Illum Academicis Ciceronis, ut ita distribueret, inductum esse apparet inde, quod hoc demum loco iam satis diu de perceptione locutus, Lucullus vero tum, cum a perceptione ad assensionem transit, dispositionem pronuntiat. Ergo cum loco non idoneo apud alterum eadem inveniantur, quae iusto a Cicerone posita sunt, imitationem deprendimus. Porro non dubium potest esse, quin Augustinus inde a § 21 in ea Academicorum materia versetur, quae Luculli libri est. Quod etiam magis elucebit, si eas paragraphos libri III., quae tum sequuntur, perquisiverimus.

Pergit Augustinus III 22 ita: „Nihilne prorsus dicitis posse comprehendi? Hic evigilavit Carneades et circumspexit rerum evidentiam. Itaque credo secum ipse, ut fit, loquens: Ergone, ait, Carneades dicturus es nescire te, utrum homo sis an formica? Aut de te Chrysippus triumphabit?" Ergo discidium quoddam inter Carneadem et Chrysippum exortum hoc loco fingitur, quod quamvis leviter tantum memoratur Ac. II 87: „Sed ut ad ea, quae clariora sunt, veniam, res .... profundam, de quibus volumina

1) cf. pag. 27 sq..

impleta sunt . . . a Chrysippo. . . . itaque ab eo armatum esse Carneadem." Deinde Lucullum in Ac. II 45 sq. pro „evidentia" dicere videmus: „Primum igitur perspicuitas illa, quam diximus, satis magnam habet vim, ..." Verbis autem „quam diximus" designatur Ac. II 17: „. . . . . propterea quod nihil esset clarius (cf. II 87: ut ad ea, quae clariora sunt, veniam . . . .) ἐναργείᾳ . . . . perspicuitatem aut evidentiam nos si placet nominemus . . ." Neque vero ea, quae apud Augustinum legimus, etsi vestigia in Ac. libro II. non desunt, ex hoc manasse videntur, cum ab illo, ut exemplo demonstratur, res planius exprimatur quam a Cicerone. Sed inspiciamus, quae c. Ac. III 22 Augustinus respondentem fingit Carneadem Chrysippo: „Dicamus ea nos nescire, quae inter philosophos inquiruntur, cetera ad nos non pertinere . . . ." Nunc reputatis iis, quae scripta sunt Ac. II 91: „. . in geometriane quid sit verum aut falsum dialecticus iudicabit an in litteris an in musicis? at ea non novit. in philosophia igitur?" facile perspicitur Ciceronem ipsum quoque seiungere scientiam philosophiae a ceteris rebus. Eorum vero, quae apud illum tum sequuntur, similia in Academicis servatis non occurrunt. Nam id, quod a Carneade sui defendendi causa dictum erat, in philosophia homini non posse obtingere scientiam, Zenonis definitione subtiliter ad absurdum deducitur et ille vehementissime vituperatur. Quodsi Augustinus in § 22 sedulus imitator Ciceronis libri II. Academicorum apparet neque tamen, cum alia plura praebeat, ex hoc ipso hausit, iterum suspicor eum loco editionis posterioris nescio quo usum esse[1]), quo ea, quae in Lucullo libro leviter tantum significata sunt, copiosius et diligentius explanata erant.

[1]) Sed aliud grave argumentum ad hunc locum pertinens eruere possumus ex eis, quae Reidius pag. 54 commemoravit. Hic satis acute monet Lucullum demum in Ac. II 17 sqq. quasdam Graecas voces, ut κατάληψιν, ἐνάργειαν aliasque in Latinum convertere, quae cum multum sint tritae in Stoicorum doctrina, Ciceronis munus in Catulo libro fuisse non posse concludit causam dogmaticorum argumentis singulis scepticorum labefactare, sed tantummodo ex temporum rebus Academiam defendere. Haec suspicio confirmabitur eo, quod infra de Catulo et Ac. post. libro II. constituemus. Et re vera, cum Lucullus Ac. II 17 dicat: „. . . . . quod nihil esset clarius ἐναργείᾳ, ut Graeci, perspicuitatem aut evidentiam nos, si placet, nominemus fabricemurque, si opus erit, verba", apertum est ad hunc locum non vocabuli „evidentia" usquam mentionem factam esse. Itaque probabile est haec c. Ac. III 22 allata: „Hic evigilavit Carneades et circumspexit rerum evidentiam etc. . ." ex Catulo petita esse non posse: quod si Cicero ibidem hanc rixam Carneadis et Chrysippi commemoravisset, sine dubio istud vocabulum, quo summa rei nititur, ipsum adhibuisset.

Perlustremus nunc ea, quae tum §§ 23 sqq. sequuntur. Id, quod Carneades affirmavit, in philosophia nihil percipi posse, ita refellitur, ut tres sapientiae disciplinae pertractentur, quarum in quaque non solum sapientem sed etiam insipientem non nulla scire consentaneum sit. Ita autem Augustinus, cum procedat, se materiam libri II. Ac. prior. ante oculos habere iterum demonstrat. Cicero enim ipse quoque tres disciplinas perlustrans Ac. II 114 sqq. Lucullum redarguere studet, qui in his quaedam sciri posse putet. Illud ut evidentius fiat, accedamus ad singulas res. Legimus c. Ac. III 23[1]): „Ut orationem tuam large lateque diffundas, arripis rixas dissensionesque philosophorum . . . Quo modo . . inter Democritum et superiores physicos de uno mundo et innumerabilibus litem diiudicabimus?“ Ciceronem autem Ac. II 116 sqq. „large lateque“ varias philosophorum sententias afferre scimus, quorum ex dissensionibus ei nihil posse percipi videtur. Pari modo quo hic Ac. II 116 Augustinus quoque c. Ac. III 23 a physica disciplina orditur. Suspicari ergo licet singula argumenta, quibus Academici ab isto oppugnantur, a Cicerone delibata esse. Propterea respiciantur haec:

c. Ac. III 23:	Nat. D. I 67 sqq.:	Ac. II 97:
Quo modo enim inter Democritum et superiores physicos de uno mundo et innumerabilibus litem diiudicabimus, cum inter ipsum heredemque eius Epicurum concordia manere nequiverit? Nam iste . . . cum atomos quasi ancillulas suas, id est corpuscula, . . . non tenere viam suam, sed in alienos limites passim sponte declinare	Sed ubi est veritas? In mundis, credo, innumerabilibus . . . An in individuis corpusculis tam praeclara opera nulla moderante natura, nulla ratione fingentibus? . . . (69) . . . Epicurus cum videret, si atomi ferrentur . . . suopte pondere, nihil fore in nostra potestate, quod esset earum motus certus . . .; invenit . . ., quod videlicet Democritum fugerat: ait atomum, cum pondere	Etenim cum ab Epicuro, qui totam dialecticam . . . contemnit . . ., non impetrent, ut verum esse concedat, quod ita effabimur „aut vivet cras . . . aut non vivet“, cum dialectici sic statuant omne, quod ita disiunctum sit quasi „aut etiam aut non“,

Quoniam perspicuum est et „Luculli“ propositum contineri § 22 neque tamen hunc ipsum ab auctore exscriptum esse, argumentationem illius paragraphi artissime in se coniunctam nisi ex posteriore editione libri Luculli accuratius collata Augustinum non mutuatum esse concludere necesse est.

1) Hoc loco Augustinum Academica respicere Krischius pag. 187 adnotavit.

permittit, totum patrimonium dissipavit . . . . . . Item scio mundum istum nostrum aut natura corporum aut aliqua providentia sic esse dispositum . . . Vera enim ista sunt disiuncta . . . nempe iam potest aut falsa aut vera nominari (sc. sententia) . . . dic istas disiunctiones . . . . falsas esse.	et gravitate directo deorsum feratur, declinare paululum . . . (70) Idem facit contra dialecticos: a quibus cum traditum sit in omnibus disiunctionibus, in quibus „aut etiam aut non" poneretur, alterutrum esse verum, pertimuit ne, si concessum esset huiusmodi aliquid, aut vivet cras aut non vivet . . ., alterutrum fieret necessarium: totum hoc aut etiam aut non negavit esse necessarium.	non modo verum esse sed etiam necessarium, . . . cum hoc igitur dialectici pugnent, id est Antiochus et Stoici; . . . nam si e contrariis disiunctio . . . falsa potest esse, nulla vera est.

Porro animadvertas in eodem sententiarum conexu apud utrumque auctorem Carneadis mentionem fieri:

c. Ac. l. a.:	Ac. II 98:
. . . aut finiti numeri aut infiniti. Istam sententiam Carneades falsae esse similem doceat . . .	Cum aliquid huius modi inciderat (sc. disiunctionum), sic ludere Carneades solebat: si recte conclusi . . .

Talibus autem similitudinibus constitutis non potest dubitari, quin cum cetera argumenta Augustini a Cicerone deprompta sint tum illud, quod de contentione Epicuri et Democriti allatum est. Academica, cum nihil huiusmodi iam praebeant, nisi quae II 55 adumbrata tantum sunt („ . . . . ais Democritum dicere innumerabiles esse mundos . . . Cur enim, inquies, cum ex illis individuis, unde omnia Democritus gigni adfirmat . . ."), vix fons esse possunt. Itaque restat, ut Augustinus et Lucullo tradito et Catulo amisso vel eodem libro editionis posterioris aut huius ea parte usus sit, quae respondebat Ac. pr. II 55. At illud fieri non potuit, cum in illam continuationem seriemque rerum Ciceronis duos dispersos locos redactos esse non facile opineris[1]).

Ista autem conclusio fortasse probabilior fiat § 97 Ac. II supra[2]).

---

[1]) Quae si recte iudicata sint, novum argumentum teneamus, quo demonstretur Augustinum non priore sed posteriore editione usum esse, sane eius non tam Tulliana quam potius Varroniana oratione, cum imprimis respiciendum sit Tullium responsionem libri II. paene omnino non mutasse, ut fragmenta docent. cf. pag. 28.

[2]) pag. 53.

allata: Cicero contentionem, quam dialectici cum Epicuro habuerunt, defendendae causa suae sententiae commemorat. Sed ut aliis locis responsionis, sic hic quoque parat redarguere argumenta non a Lucullo prolata. Cognosci autem potest, qualis defensio huius dialecticae in fonte Lucullianae orationis a Cicerone adhibito fuerit: Affirmatum erat, cum talis modi exempla quaedam afferrentur, omnes disiunctiones veras esse, quod nihil aliud est nisi ea ratio revincendi, quam Augustinus c. Ac. III 23 secutus est. Qui locus quamvis plura exempla complectatur quam Lucullus liber, tamen fieri potuit, ut ea ab illo ipso invenirentur. Sic fortasse quispiam existimet respiciens hanc comparationem.

c. Ac. III 23:	Ac. II 119 sqq.:
Scio mundum istum nostrum aut natura corporum aut aliqua providentia sic esse dispositum; eumque aut semper fuisse et fore, aut coepisse esse minime desiturum; aut ortum ex tempore non habere; etc. . . . et innumerabilia physica hoc modo novi.	(Aristoteles dicat) neque . . . . . ortum esse unquam mundum. (121) Negas sine deo posse quicquam (sc. effici.) . . . negat (Strato) opera deorum se uti ad fabricandum mundum, quaecumque sint, docet omnia effecta esse natura. (125) (putes) . . . sine aliqua mente rem ullam effici posse praeclaram . . .? (128) Non mihi videntur considerare, cum physica ista valde adfirmant . . . .

Sed adiungatur Timaeus: (2) „De quo (sc. mundo) id primum consideremus, . . . semperne fuerit . . . an ortus sit ab aliquo temporis principatu . . . (3) . . . . Quam ob causam non est cunctandum profiteri . . . hunc mundum . . . . esse . . . divina providentia constitutum.“ Videre igitur licet sententias hic pronuntiatas in singulis disiunctionibus c. Ac. III 23 mira quadam verborum similitudine nobis occurrere. Cum vero Cicero primo initio huius libri expressis verbis: „Multa sunt a nobis . . in Academicis conscripta contra physicos“ ad sua Academica provocet, paulo autem post res quasdam exponat, quarum simillimas et apud Augustinum neque tamen in Academicis servatis repperimus, intellecto istas consensiones c. Ac. III 23 cum Tim. 2 sq. imitatione tantum posse effectas esse, affirmare audeo Augustinum Academica posteriora amplificata in usum suum convertisse[1]).

[1]) cf. pag. 27 sq..

Neque aliter res se habet in iis libri III. c. Ac. paragraphis, quae sequuntur: Augustinus procedit in physicis, cum verba faciat de visis, quae vigilantibus et dormientibus vel insanis appareant. Quod contineri Ac. libri II. §§ 51—54 satis elucet. At Academica, quae supersunt, nego fieri potuisse, ut ille respiceret, cum ipsius argumentatio acutior sit quam Luculli[1]).

Sed singulos Augustini locos perlustremus alterius Academica respicientes. Initio c. Ac. III 24 ei, qui putat nonnihil posse sciri, velut aut unum esse mundum aut non unum, Academicus occurrens inducitur hoc modo: „Unde scis esse istum mundum, si sensus falluntur?“ Ad id respondetur: „Nunquam rationes vestrae ita vim sensuum refellere potuerunt, ut convinceretis nobis nihil videri, . . . sed posse aliud esse ac videtur . . .“ Haec duo si comparaveris cum Ac. II 47: „Primum conantur ostendere multa posse videri esse, quae omnino nulla sint“ et Ac. II 19: „Non enim is sum, qui quidquid videtur, tale dicam esse, quale videatur“ et Ac. II 101: „Neque nos contra sensus aliter dicimus ac Stoici, qui multa falsa esse dicunt longeque aliter se habere ac sensibus videantur,“ videas idem ab utroque Academicis concedi: ea, quae videntur, possunt alia esse ac videntur. Itaque Augustinus ibidem dicit fortasse neque terram esse neque caelum, quae videntur, sed „quasi terram et quasi caelum“, ea vero ipsa a se nominari tantum mundum. Quod si quem offendat, de „nomine controversiam“ eum facere. Primum nos intellegere necesse est Academicos eo, quo c. Ac. II 24 sqq. defensi sunt, hoc loco impugnari, id est eo, quod de verbis certandum non est[2]). Ne mihi refellendi causa opponatur non tam

---

[1]) Neque vero hoc mirum est. Ciceroni enim, si victor de rixa discedere voluit, id spectandum erat, ut dogmaticorum argumenta quam plurimum praeciderentur. Hoc ei curae fuisse mihi videtur, cum Lucullum fingebat occurrentem Ac. II 52: „«At enim dum videntur (sc. visa), eadem est in somnis species eorumque quae vigilantes videmus». Primum interest, sed id omittamus.“ Ex tali igitur respondendi ratione patet Lucullo, ut omisit, ita nota quaedam fuisse, quae contra istam Academicorum intercessionem disputata erant. Itaque, cum Antiochi partes sequatur, hunc, eius explicationum auctorem, plura contra illos protulisse facile intellegitur. Non nulla re vera hoc loco a Cicerone praetermitti demonstratur Ac. II 49: „Ad has omnes visiones inanes Antiochus quidem et permulta dicebat, et erat de hac re una unius diei disputatio. mihi autem non idem faciendum puto sed ipsa capita dicenda.“ Quibus reputatis optimo iure concludimus Academicorum editionem posteriorem Augustini fuisse fontem.

[2]) cf. pag. 23, 35 sqq..

ex fonte quam ex se ipso auctorem argumentum evolvere potuisse, profero iterum exordium libri Timaei, ubi loco allato[1]) legimus verba: „Omne igitur caelum sive mundus sive quo alio vocabulo gaudet etc. (ut supra).“ Dilucidum igitur est illam sententiam, qua Academici in § 24 libri III. c. Ac. ab Augustino revincuntur, iam Ciceroni notam fuisse, quod etiam magis perspicitur ex §§ 68 sq. libri I. De Nat. Deor.: „Ita enim dicebas non corpus esse in deo, sed quasi corpus ... (69) Hoc persaepe facitis, ut cum aliquid non veri simile dicatis et effugere reprehensionem velitis, adferatis aliquid, quod omnino ne fieri quidem possit; ut satius fuerit illud ipsum, de quo ambigebatur, concedere quam tam impudenter resistere. Velut Epicurus cum videret . . etc. (ut supra pag. 53).“ His autem verbis ostenditur Ciceronem, etsi sibi persuasit, quod videtur, id fortasse non accommodate vocari mundum, non assentiri eis, qui pro terra et caelo dicunt quasi caelum et quasi terram. Qua Augustinus cum ratione utatur, ut Academicos redarguat, ab illius sententia recedit. Bene igitur ista congruunt cum eo, quod suspicari necesse est, Augustinum hausisse argumentationem ex ea fontis parte, qua Academici oppugnabantur. Ita si recte iudicavi, cum huius modi refellendi neque similis in Academicis et tamen vestigia certa in aliis Ciceronis scriptis inveniantur, haec imitatione sola illius mihi explicanda esse videntur. Nunc respiciamus initium Timaei et De Nat. D. I 68 sqq.: non solum illic tres locos physicas res complectentes, qui cum §§ 23 et 24 libri III. c. Ac. miras praebent similitudines, investigavimus, ubi Cicero paulo ante eos ipsos professus est se in Academicis de talibus rebus multa dixisse, sed etiam hic cum iisdem paragraphis gravissimae consensiones apparuerunt, quo comparatione statuimus[2]) illum repetere sententias in Academicis explicatas[3]).

Cum autem inter haec verba De Nat. D. libri I. (67): „Sed ubi est veritas“, quibus propositum Academicorum perstringi indicatur, et alios eiusdem locos cum Ciceronis Academicis valde congruentes illi positi sint, qui et cum libri III. c. Ac. §§ 23 et 24

---

[1]) pag. 55.
[2]) cf. pag. 53 sq..
[3]) Etiam aliam adiungo:

Ac. II 101:	Nat. D. I 70:
Quod est caput Epicuri? si ullum sensus visum falsum est, nihil percipi potest.	Timuit Epicurus, ne si unum visum esset falsum, nullum esset verum.

magnas consensiones offerunt neque vero cum Academicis servatis, at tamen §§ 23 sq. multimodis cum Lucullo libro congruant, si addamus illa in Timaeo exquisita, nihil aliud sequitur nisi nescio quem deperditum Academicorum locum ab Augustino esse exscriptum. Quoniam probabilius est ex uno tantum libro tam artissime in se cohaerentia profluxisse quam ex duobus, ut supra identidem pressimus, „Catulus“ spectandus non est[1]).

Nunc pergamus Ciceronem et Augustinum inter se comparare. Ab utroque premitur dormientes vel similiter affectos non respiciendos esse ad diiudicandum, utrum verum percipi possit necne:

c. Ac. III 25:	Ac. II 53:
Potes enim dicere hoc mihi etiam dormienti videri potuisse. Si autem unus et sex mundi sunt, septem mundos esse, quoquo modo affectus sim, manifestum est.	Non enim proferremus vino aut somno oppressos ...., ut diceremus interesse inter vigilantium visa ... et eorum qui essent aliter adfecti.

Augustinus ergo putat, quae mente et ratione videantur, eadem etiam in somno vera videri, cum ea, quae per corporis sensus nos attingant, falsa esse possint: „Nam ter terna novem esse et quadratum intellegibilium numerorum necesse est, vel genere humano stertente sit verum.“ Huius sententiae significationem quandam cognosco in Ac. II 42: „Dividunt (sc. Academici) enim in partes, ... primum in sensus, ... tum perveniunt ad eam partem, ut ne ratione quidem ... ulla res percipi possit“, et II 52[2]).

---

[1]) Itaque hic quoque puto concludendum esse, cum plura invenerimus apud Augustinum esse exposita quam in „Lucullo“, huius editionem posteriorem in illius manibus fuisse. Hoc verisimilius eo fit, quod pag. 56 intelleximus fontem Ciceronis etiam multa alia explanasse in physica parte quam Lucullum, neque est, quare talia in eodem libro ed. post. amisso fuisse adiecta negemus, praesertim cum Cicero acumen subtilitatemque orationum Varronis ad Att. XIII 13; 19 expressis verbis laudet (pag. 28).

[2]) Pag. 56 adn. iam suspicatus sum hoc loco Ciceronem alia in fonte inventa praeterisse. Desistit ea, quae de visorum differentiis dici possunt, longius exponere hoc tantum adiciens: „illud enim dicimus non eandem esse vim neque integritatem dormientium et vigilantium nec mente nec sensu.“ Augustinus autem, cum adversario interesse inter illa visa neganti respondeat necesse esse menti etiam in somno quaedam verissima videri, in eodem rerum conexu in quo alter vocabulo „affici“ utitur, ut strenuum Academicorum imitatorem se praebeat. Cum tamen eius argumentatio in hac quoque paragrapho subtilior atque copiosior fiat aliis quibusdam exemplis adhibitis, quae in „Lucullo“ nusquam inveniuntur, nihil mihi quidem reliquum videtur esse, nisi ut huius posteriorem editionem fontem fuisse concludam.

Deinde Augustinus, quamquam nos sensuum visis decipi posse concessit, ita pergit: „Quamquam etiam pro ipsis sensibus multa posse dici video, quae ab Academicis reprehensa non invenimus. Credo enim sensus non accusari, vel quod imaginationes falsas furentes patiuntur vel quod falsa in somnis videmus". Simili modo sentit Lucullus Ac. II 19: „Meo autem iudicio ita est maxima in sensibus veritas, si et sani sunt ac valentes".

De his § 26 accuratius agitur demonstrandi causa multa posse percipi, cum primum praedicitur de illis non esse querendum. Ibidem scripta sunt: „Iniustum est enim ab eis exigere plus quam possunt: quidquid autem possunt videre oculi, verum vident. Ergone verum est, quod de remo in aqua vident? Prorsus verum. Nam causa accedente quare ita videretur, si demersus unda remus rectus appareret, magis oculos meos falsae renuntiationis arguerem." Quibuscum si comparavimus Ciceronis Academica, sub oculos cadit eandem esse seriem rerum in Lucullo, de sensuum cognitione agi. Similiter atque illic initio facto Ac. II 19: „Ordiamur igitur a sensibus, quorum ita clara iudicia et certa sunt, ut, si optio naturae nostrae detur, et ab ea deus aliqui requirat, contentane sit ..... sensibus an postulet melius aliquid, non videam, quid quaerat amplius", cum imprimis animadvertas hic esse adhibitum verbum „postulare" pro Augustini „exigere", Lucullus ipse quoque primo exemplo utitur remo his verbis: „Nec vero hoc loco exspectandum est, dum de remo inflexo respondeam" neque demonstrandum esse putat sensus vera sentire; „non enim", inquit, „is sum, qui quidquid videtur, tale dicam esse quale videatur". Licet igitur suspicari ex his verbis Lucullum idem argumentum atque Augustinum in animo habuisse, vel potius hoc in fonte Ciceronis exstitisse. Id mihi quidem cognosci posse videtur ex eis, quae hic iisdem adversarii explicationibus opponit Ac. II 81: „Videsne navem illam? stare nobis videtur; at iis, qui in nave sunt, moveri[1]) haec villa. quaere rationem, cur ita videatur; quam ut maxime inveneris, ... non tu verum testem habere, sed eum non sine causa falsum testimonium dicere ostenderis. Quid ego de nave? vidi enim a te remum contemni". Ciceroni igitur illud dogmaticorum argumentum ab Augustino allatum, quo explicatur remum non sine causa in aqua fractum videri, notum fuisse apertum est. Hoc autem quonam alio modo fieri potuit nisi Antiocho auctore,

---

[1]) pag. 61.

cuius partes Lucullus sequitur? Verum enim vero statuendum est illud argumentum a Lucullo consulto praetermitti[1]).

Deinde apparet Augustinum, cum ibidem pergat: „Hoc de turrium motu . . . dici potest“, cogitatione navem quandam fingere, in qua qui versentur, iis turris moveri videatur. Quae res eadem

---

[1]) Fortasse succurrit ad certe cognoscendum locus Sexti Empirici (Πρὸς Δογματικοὺς A 208): „. . . οὐκ ἂν εἴποιμι ψεύδεσθαι τὴν ὄψιν, ὅτι ἐκ μακροῦ μὲν διαστήματος μικρὸν ὁρᾷ τὸν πύργον . . . ἐκ δὲ τοῦ σύνεγγυς μείζονα . . , ἀλλὰ μᾶλλον ἀληθεύειν, ὅτι καὶ ὅτε φαίνεται μικρὸν αὐτῇ τὸ αἰσθητὸν καὶ τοιουτόσχημον, ὄντως ἐστὶ μακρὸν . . . τῇ διὰ τοῦ ἀέρος φορᾷ ἀποθραυομένων τῶν κατὰ τὰ εἴδωλα περάτων . . .“ Ergo ibidem pari modo atque ab Augustino iudicatur oculos, quidquid vident, verum videre alio tantum exemplo allato. Sed conferamus inter se utriusque exempla. Apud utrumque affirmatur oculos hominum non decipi, sed vera videre, cum hic turris afferatur, quae procul visa re vera minor sit quam prope videatur, quod aer interiectus sit, illic remus, qui re vera fractus, quod aqua offusa. Utroque igitur exemplo, quae oculis videntur, eodem mathematicorum decreto explicantur, hic atque illic argumentatio in eodem errore posita est, itaque argumenta quasi argumenta sunt.

Haec inter Augustinum et Sextum consensio quantopere respicienda sit, ut cognoscatur, liceat mihi nonnullas huius explicationes cum Cicerone et Augustino comparare. Quas si paulo accuratius inspexeris, hos tres auctores in verbis sententiisque inter se concinere facillime intellegas. Propterea conferantur haec:

Ac. II 66:	Sext. A 156 sq.:
Pro veris falsa probare turpissimum est. Nec tamen ego is sum, qui nihil umquam falsi adprobem, qui numquam adsentiar, qui nihil opiner. Sed quaerimus de sapiente. Ego vero . . . magnus . . sum opinator . . . Sapientis autem hanc censet Arcesilas vim esse maximam Zenoni adsentiens, cavere ne capiatur . . . , nihil est enim ab ea cogitatione, quam habemus de gravitate sapientis, errore, levitate, temeritate diiunctius.	εἰ συγκατατίθεταί τινι (sc. ὁ σοφός), τῷ ἀκαταλήπτῳ συγκαταθήσεται, ἡ δὲ τῷ ἀκαταλήπτῳ συγκατάθεσις δόξα ἐστίν. ὥστε εἰ τῶν συγκατατιθεμένων ἐστὶν ὁ σοφός, τῶν δοξαστῶν ἔσται ὁ σοφός. οὐχὶ δέ γε τῶν δοξαστῶν ἐστιν ὁ σοφός· τοῦτο γὰρ ἀφροσύνης ἦν κατ' αὐτούς [sc. στωϊκούς] καὶ τῶν ἁμαρτημάτων αἴτιον. c. Ac. II 11: Cum ab eodem Zenone accepissent nihil esse turpius quam opinari, confecerunt callidissime, ut si nihil percipi posset et esset opinatio turpissima, nihil unquam sapiens approbaret.
Ac. II 67:	Sext. ibid.:
Si ulli rei sapiens adsentietur umquam, aliquando etiam opinabitur; numquam autem opinabitur; nulli igitur rei adsentietur.	Εἰ συγκαταθήσεται ὁ σοφός, δοξάσει ὁ σοφός . . . οὐχὶ δέ γε τῶν δοξαστῶν ἐστιν ὁ σοφός. . . οὐκ ἄρα τῶν συγκατατιθεμένων ἐστὶν ὁ σοφός.

Deinde respiciantur velim hae explicationes Sexti (150 sqq.): Οἱ δὲ περὶ τὸν Ἀρκεσίλαον προηγουμένως μὲν οὐδὲν ὥρισαν κριτήριον, οἱ δὲ καὶ ὡρικέναι

est atque in Ac. II 81[1]) hoc uno differente, quod illic pro turri posita est villa. Tum conferantur inter se haec:

c. Ac. III 26:	Ac. II 19; 21:
Non enim video, quomodo refellat Academicus eum, qui dicit: hoc mihi candidum videri scio, hoc auditum meum delectari scio; hoc mihi iucunde olere scio; hoc mihi sapere dulciter scio.	(19) Quod idem fit in vocibus, in odore, in sapore, ut nemo sit nostrum, qui in sensibus sui cuiusque generis iudicium requirat acrius . . . (21) Illud est album, hoc dulce, canorum illud, hoc bene olens.

Atque haud scio an id, quod de hominum gustu est dictum c. Ac. III 26: „Dic potius, utrum per se amarae sint oleastri

---

δοκοῦντες τοῦτο κατὰ ἀντιπαρεξαγωγὴν τὴν ὡς πρὸς τοὺς στωικοὺς ἀπέδοσαν . . . (152) καταληπτικὴ δὲ φαντασία κατὰ τούτους ἐτύγχανεν ἡ ἀληθὴς καὶ τοιαύτη, οἵα οὐκ ἂν γένοιτο ψευδής. (153) ταῦτα δὴ λεγόντων τῶν ἀπὸ τῆς στοᾶς ὁ Ἀρκεσίλαος ἀντικαθίστατο δεικνύς... (154).. ὅτι οὐδεμία τοιαύτη ἀληθὴς φαντασία εὑρίσκεται, οἵα οὐκ ἂν γένοιτο ψευδής. (cf. c. Ac. II 14: Quod cum Zeno ... intulisset etc. [ut pag. 29] . . atque id Arcesilas audiret, negavit huiusmodi quidquam posse ab homine reperiri etc.) πάντων δὴ ὄντων ἀκαταλήπτων ἀκολουθήσει καὶ κατὰ τοὺς στωικοὺς ἐπέχειν τὸν σοφόν . . . Pari igitur ratione atque Augustinus c. Ac. II 14 et Cicero Ac. I 45 Sextus quoque proclamat per Stoicos esse Arcesilam inductum, ut nihil percipi posse concluderet. Imprimis animadvertendum est pro Sexti voce δοξαστής Ciceronem praebere „opinator". Tales autem similitudines rerum verborumque eo explicantur, quod et Sextum et Ciceronem ab eodem fonte pendere suspicamur (cf. Hoyer „Die Heilslehre", pag. 78, 182). Ciceronem quidem certo scimus in Academicis secutum Graecos auctores, Antiochum et Philonem, in linguam Latinam quibusdam saltem in partibus ad verba transtulisse. Nimirum Hirzelius (Quaest. III 167, 197, 292sqq.) et Krischius et Schmekelius („Festgabe für Franz Susemihl", Lipsiae 1898, pag. 37 sqq.) in perquirendis Ciceronis Academicis quosdam locos Sexti cum his congruentes adnotaverunt.

Illud concludam etiam ex hac comparatione:

Ac. II 19:	Sext.:
Itaque . . . situs earum rerum, quas intuemur, et intervalla aut contrahimus aut diducimus, dum aspectus . . fidem faciat sui iudicii.	ὅτι ἐκ μακροῦ μὲν διαστήματος μικρὸν ὁρᾷ τὸν πύργον . . . ἐκ δὲ τοῦ σύνεγγυς μείζονα . .

Quo satis reputato eoque, Sextum cum Augustino magnas consensiones praebere, hic, cum vix illum respexerit, amissum Academicorum quendam locum adhibuisse mihi videtur. Cum vero certa vestigia talis argumentandi rationis in „Lucullo" indagarimus huiusque materiam ista parte libri c. Ac. III tractari valde perspicuum sit, num quidquam verisimilius est quam editionem posteriorem auctorem exscripsisse, in qua, quae leviter sunt significata Ac. II 19 et 81, accuratius expleta erant? (pag. 27sq.).

[1]) pag. 59.

frondes, quas caper tam pertinaciter appetit", ortum ducat a sententia Luculli Ac. II 20 explanata: „Nihil necesse est de gustatu et odoratu loqui, in quibus intellegentia, etsi vitiosa, est quaedam tamen." Elucet autem ex his verbis abruptis in fonte de eadem re exstitisse plura. Eo magis igitur habemus, quod opinemur Ciceronem de vitioso gustu et odore in Academicis posterioribus diligentius egisse, ad quae alterius explicationes referendae sint.

Imprimis memoranda sunt, quae ab hoc proferuntur de Cyrenaicis ut sensuum patronis (c. Ac. III 26): „Et Epicureus vel Cyrenaici et alia multa fortasse pro sensibus dicant, contra quae nihil dictum esse ab Academicis accepi." Cf. Luculli verba II 20: „Quid de tactu et eo quidem, quem philosophi interiorem vocant aut doloris aut voluptatis, in quo Cyrenaici solo putant veri esse iudicium?" Contra haec Cicero disputat in Ac. II 76 ita: „Quid Cyrenaici? .... qui negant esse quicquam, quod percipi possit extrinsecus, ea se sola percipere, quae tactu intumo sentiant." Ergo illum, cum Lucullum studet refellere, etiam id confirmare perspicitur, quod ab hoc de Cyrenaicorum sententia dictum est. Quos Augustinus cum illo modo in eodem rerum conexu quo Cicero memoret, mihi quidem dilucide demonstrare videtur se non solum adversarii sed etiam patroni Academicorum orationem respexisse.

Sed rationis contra Academicos disputandi, quam Augustinus § 27 persequitur, haud ita similem apud Ciceronem inveni. Neque tamen, si diligentius anquisiverimus, difficile erit intellectu illum ab hoc pendere. Nam incipit haec paragraphus ita: „Quid enim de moribus inquirentem ... impedit corporis sensus? Nisi forte illos ipsos .. nihil impedit .. columbae collum aut vox incerta aut grave pondus homini, quod camelis leve est, ... quominus dicant eo quo delectantur delectari se scire .." Auctor autem, cum „columbae collum" afferat exemplum, videlicet de hoc cogitat, quod in Ac. II 79 dictum est: „Tu autem te negas ... columbae collo ... moveri" et Ac. II 19: „Nec vero .. exspectandum est, dum .... de collo columbae respondeam." Non igitur dubium est, quin imitatione tantum factum sit, ut ista elocutione uterque uteretur, quasi nulla alia poni potuerit. Sin § 27 totam perlegeris, Augustinum non copiosiora sed subtiliora quaedam praebere quam Ciceronem in Academicis cognosces. Hoc ostendatur comparatione, quae sequitur:

c. Ac.:	Ac. II 29:
Mihi tamen tardo illi atque stulto licet interim scire boni humani finem, in quo inhabitet beata vita, aut nullum esse, aut in animo esse, aut in corpore, aut in utroque.	.. duo esse haec maxima in philosophia, iudicium veri et finem bonorum, nec sapientem posse esse, qui ... ignoret ... extremum expetendi, ut aut unde proficiscatur aut quo perveniendum sit nesciat.

Huius paragraphi argumentum Lucullo quoque libro contineri imprimis ex Ciceronis dilucidum fit responsione, ubi §§ 129 sqq. hic in contrariam partem ex philosophorum dissensionibus de summo bono sequi putat, ut in hac re homini scientia obtingere non possit. Neque igitur id, quod identidem in superioribus paragraphis, minus in § 27 animadvertendum est, Augustinum acutius argumentari quam Lucullum.

In iis autem sententiis, quae exponuntur § 28, facilius certa Tullii vestigia inveniamus. Primum respiciatur haec comparatio:

c. Ac.:	Ac. II 51:
Sed timuit (sc. sapiens) fortasse, ne summum bonum eligat dormiens. Nihil periculi est: cum evigilaverit, repudiabit si displicet, tenebit si placet. Quis enim eum recte vituperabit, quod falsum vidit in somnis?	Omnium .... inanium visorum una depulsio est, sive illa cogitatione informantur, ... sive in quiete ... nam ab omnibus eiusdem modi visis perspicuitatem ... abesse dicemus ... itaque simul ut experrecti sumus, visa illa contemnimus neque ita habemus ut ea, quae in foro gessimus.

Tum sequuntur c. Ac.: „Aut fortasse illud formidabit, ne dormiens amittat sapientiam, si pro veris falsa probaverit? Hoc iam ne dormiens quidem audet somniare, ut sapientem vigilantem vocet, neget si dormiat". Inde cognoscitur Augustinum existimare sapientem non eo, quod somnians, sed eo, quod vigilans faciat, sapientiam prae se ferre, quoniam ne in somnio quidem eam amittat, si falsa pro veris approbet. Nunc si Luculli sententias perscrutemur, similiter videmus ab eo pro absurdo haberi in § 53, quod Academici, cum sapientiae iudicium quaeratur, exemplis somniantium et furiosorum utantur. Quodsi dicit paulo ante „At enim ipse sapiens sustinet se in furore, ne adprobet falsa pro veris et alias quidem ..", adversarium sibi occurrentem facit. Cum vero

hoc pro Academicis profert, non ipse ita sentit, sed contra sapientem non privari sapientia, si in furore vel somnio falsis assentiatur. „Nam ab omnibus eiusdem modi visis", in § 51 inquit, „perspicuitatem ... abesse dicemus". Itaque, quin Augustinus in hac quoque paragrapho Ciceronis Academica secutus sit, nego posse quemquam dubitare. Cui ut etiam magis confidatur, in eadem rerum continuatione utrumque eadem verba ponere consideremus, hunc „ne adprobet falsa pro veris", illum „si pro veris falsa probaverit". Illa autem verba: „at enim . . .", quae quasi ab Academicis dicta sunt contra, continentur priore huius Augustini conclusionis parte: „Aut enim amittitur furore sapientia et iam non erit sapiens, quem verum ignorare clamatis: aut scientia eius manet in intellectu, etiam si pars animi cetera id, quod accepit a sensibus, velut in somnis imaginetur[1]."

Sed quantopere ibidem Augustinus Ciceronis Academica imitatus sit, fortasse ex alia quoque ratione intellegitur. Iam supra[2]) enucleatum est dispositionem de assensu et perceptione prolatam Luculli esse. Hanc autem Cicero cum observaret, facere non potuit, quin ex parte physica quaedam iam §§ 19 sq. tractata iterum §§ 48 sqq. in oppositionem irreperent. Augustinus contra hanc inconcinnitatem collatis iis, quae physicas res complectuntur, effugere studuit et ethicam et dialecticam philosophiam adiunxit. Qua in re ut a Luculli compositione recederet, Ciceronis ipsius responsione videtur commotus esse, cuius in altera parte a §§ 116 sqq. explicationes tribus philosophiae generibus distributae sunt. Eo vero, quod responsionis quoque Ciceronis spectavit dispositionem, ab altera initio § 22 pronuntiata discrepuit, ut in § 28 exclamet: „Sed in alia festinat oratio." Sane hoc sibi confitendum esse sentiebat, cum demonstrare vellet percipi non nihil posse ab homine. Etiam in § 27, ubi hoc de moribus confirmatur, premit: „Sed nunc de scientia quaerimus. Ergo interroga sapientem, qui non potest ignorare sapientiam." Paulo autem post, cum declaretur visa dormientium vel furiosorum ad sapientiam non pertinere, profert: „Cum evigilaverit, repudiabit si displicet, tenebit si placet." Neque sentiens hoc modo se de assentiendo loqui

---

[1]) Altera pars conclusionis complectitur id, quod vere sentit Augustinus, ut est aperte expressum in fine § 26: „quam tamen (scientiam) volunt intellegentia contineri remotamque a sensibus in mente vivere. Et fortasse in eorum numero est sapiens ille, quem quaerimus."

[2]) pag. 51.

pergit: „Aut fortasse illud formidabit, ... si pro veris falsa probaverit ... Haec etiam de furore dici possunt.“ Tum demum ad se redit illa verba effando: „Sed in alia ...“ Re vera in hac quoque paragrapho eum perceptionem solam tractare in animo habere manifestum est ex eis, quae subsequuntur: „Haec tamen sine conclusione securissima non relinquo: Aut enim amittitur furore sapientia .. etc. (ut supra).“ Quam discrepantiam duplici dispositione (Luculli et Ciceronis) servata Augustinus evitare potuit, si suo tantum consilio materiam explanasset. Itaque cum ea ipsa, quae in orationem suam aliena se invito incurrisse profitetur, miras quasdam similitudines rerum verborumque praebere cum Ciceronis Academicis supra diiudicaverimus, eo manifestius est illum § 28 quasi sine mente ac ratione ex fonte hausisse.

§ 29 ab Augustino dialectica tractatur eaque ita, ut explicet se de ea scire „plura quam de quavis parte philosophiae“. Per istam enim se didicisse omnes propositiones esse veras, quibus in paragraphis superioribus usus sit. Huius generis tum aliae adiunguntur. Talem argumentationem quamvis in Luculli explicationibus nusquam invenerim, tamen fuisse dogmaticorum apparet ex his Ciceronis verbis in Ac. II 91[1]) „Dialecticam inventam esse dicitis veri et falsi quasi disceptatricem ... quid igitur iudicabit (dialecticus)? quae coniunctio, quae diiunctio vera sit....“ Quibuscum conferantur, quae scripta sunt c. Ac. l. a.: „Docuit me (dialectica), si cuius eorum, quae per conexionem modo proposui, pars antecedens assumpta fuerit, trahere necessario id, quod annexum est. Ea vero, quae per repugnantiam vel disiunctionem a me sunt enuntiata, hanc habere naturam, ut cum auferuntur cetera, ... restet aliquid, quod eorum ablatione firmetur.“ Simili autem modo a Cicerone ipso quoque coniunctiones et disiunctiones internoscuntur. Legimus Ac. II 96: „Ipsa enim ratio conexi cum concesseris superius, cogit inferius concedere“, quod enuntiatum plane respondet illi Augustini priori modo allato. Cuius cum altero concinit hoc in Ac. II 95: „Rebus sumptis adiungam ex iis sequendas esse alias, alias improbandas quae sint in genere contrario.“ Sed de hoc genere propositionum iterum atque etiam copiosius loquitur in § 97: ‚Cum dialectici sic statuant omne quod ita disiunctum sit quasi ‚aut etiam aut non‘ ... verum esse (ut pag. 53) .... nam

[1]) Leder pag. 37.

si e contrariis disiunctio (contraria autem ea dico, cum alterum aiat, alterum neget) — si talis disiunctio falsa potest esse, nulla vera est.“ Ex his igitur Ciceronis verbis concludas argumenta dogmaticorum contra Academicos prolata, quamquam a Lucullo sunt praetermissa, fuisse eadem quae Augustini. Alio vero loco certo statui posse puto illum etiam in verbis cum Lucullo mire concinere; ille enim in § 29 dicit: „De captiosis autem atque fallacibus ratiunculis breve praeceptum est“, alter autem in Ac. II 46: „Alterum est quod fallacibus et captiosis interrogationibus circumscripti . . . desciscunt a veritate.“ Utrumque cum eadem de re, i. e. de soritis et pseudomenis, cogitare apertum sit, ista consensio verborum imitatione sola explicanda est.

Deinde elucet auctorem de pseudomeno agere c. Ac. III 29 his verbis: „(Sapiens) si profecto dialectica ipsa scientia veritatis est, sic illam novit, ut istorum mendacissimam calumniam: si verum est, falsum est; si falsum est, verum est . . . . enecet.“ Quam perversam conclusionem referam ad illam a Cicerone Ac. II 95 allatam: „Si dicis te mentiri idque verum dicis, mentiris et verum dicis. haec scilicet inexplicabilia esse dicitis.“ Porro sequitur ex his verbis, cum frustra in Luculli disputatione indagaveris, ubi haec vel similia dicta essent, in fonte orationis Luculli talem conclusionem fuisse commemoratam, ex qua confectum est omnia huiusmodi inexplicabilia esse.

Tum quaedam adiciam in Academicis leviter significata. Etenim haud scio an Augustini verba l. a.: „Ego vero plura (sc. possum scire de dialectica) quam de quavis parte philosophiae“ commode coniungantur cum eis, quae Cicero dicit Ac. II 91: „Plus autem (sc. dialectica) pollicebatur. nam haec quidem iudicare ad ceteras res, quae sunt in philosophia multae atque magnae, non est satis. Sed quoniam tantum in ea arte ponitis . . .“

Argumenta tam acute expressa Augustinus ex responsione tantum Ciceronis depromere non potuit. Huc accedit, quod etiam plura, quam in Academicis exstant, ibidem ab Augustino exponuntur. Non superfluum puto haec afferre § 29: „Docuit etiam me (dialectica), cum de re constat, propter quam verba dicuntur, de verbis non debere contendi. Et quisquis id faciat, si imperitia faciat, docendum esse, si malitia, deserendum. Si doceri non potest, monendum, ut aliquid aliud potius agat quam tempus in superfluis operamque consumat: si non obtemperat,

neglegendum. De captiosis autem atque fallacibus ratiunculis breve praeceptum est: si male concedendo inferuntur, ad ea, quae concessa sunt, esse redeundum. Si verum falsumque in una conclusione confligunt, accipiendum inde quod intellegitur, quod explicari non potest, relinquendum. Si autem modus in aliquibus rebus latet penitus hominem, scientiam eius non esse quaerendam.“ Consentaneum est auctorem, cum omnia cetera huius paragraphi ex Cicerone petierit, ne ista quidem ex se ipso protulisse, praesertim cum in hac parte etiam verba Ciceronis imitetur[1]. Quae cum attingantur in Lucullo libro neque tamen hunc Augustinus exscripsisse possit, eius explicationes ex Academicis posterioribus sumptas esse satis probabile est.

Convertamus nos ad orationis Augustini alteram partem, qua §§ 30—36 de assensione agitur, ubi non minus Ciceronis imitatorem se nobis ostentat. Primum vel ex eo, quod supra de perceptione concessum sit, effici, ut assentiendum sit, § 30 his verbis declarat: „Quid autem amplius desiderem, nihil habeo, si iam probabile est nonnihil scire sapientem. Non enim alia causa veri simile videbatur, eum (sc. sapientem) assensionem sustinere debere, nisi quia erat veri simile nihil posse comprehendi. Quo sublato . . . nulla iam causa remanebit cur non assentiatur sapiens vel ipsi sapientiae.“ Pari modo Lucullus assensionis retentionem esse reiciendam putat, cum ab homine non nulla possint sciri, quod necessario trahat assensum. Itaque plane cum sententia Augustini supra allata concinere mihi videntur in Ac. II 37 sq. expressa: „Nam cum vim, quae esset in sensibus, explicabamus, simul illud aperiebatur, comprehendi multa et percipi sensibus, quod fieri sine adsensione non potest . . . . (38) Quamquam si illa, de quibus disputatum est, vera sunt, nihil attinet de adsensione omnino loqui; qui enim quid percipit, adsentitur statim.“

Sed quae tum ab illo c. Ac. III 31 sqq. copiose exponuntur, eorum pauca tantum vestigia inveniamus in Academicis, quae supersunt. Eo vero, quod dicit in § 31, Ciceronem confiteri se magnum esse opinatorem, sed de sapiente se quaerere, significari Ac. II 66 recte iam Krischius pag. 187 cognovit, ubi scriptum est: „ . . . sed quaerimus de sapiente. ego vero ipse et magnus quidem sum opinator“. Hoc enim ab Augustino in memoriam

---

[1]) cf. pag. 66.

revocatur, ut apertum sit Academicos, cum de sapiente agant in disputationibus, proclamare et esse quendam sapientem neque tamen eum assentiri. Quod quam absurdum sit, quadam inter sapientem et sapientiam rixa monstratur, cui ille assentiri nolit. Sin contuleris verba Augustini: „quid aliud dicit sapientia quam se esse sapientiam“ cum his Ac. II 24: „Ipsa vero sapientia si se ignorabit, sapientia sit necne, quomodo .... obtinebit nomen sapientiae?“, ex his facile cognoscas illam rationem Academicos oppugnandi fonti, quo Cicero pro Luculli partibus usus est, haud ignotam fuisse. Neque tamen ita probabile est ea, quae ab Augustino perspicue atque copiose sunt explanata, exorta esse ex tam parcis Luculli adumbrationibus. Deinde in § 32 de errore quaedam adiunguntur[1]). Quorum quamquam nihil simile in Academicis nunc occurrit, at certe illorum, quae sequuntur in § 33. Maxime redargui Academicos eo, quod non assentiendo omnis vita exstinguatur, Augustinus putat: „Iaciam igitur quibus viribus possum .... validissimum telum. Qui nihil approbat, nihil agit“. Quibuscum conferantur Ac. II 38 sq. haec: „at vero animus quodam modo eripitur iis, quos neque sentire neque adsentiri volunt ... Quare qui ... adsensum tollit, is omnem actionem tollit e vita“.

Tum § 34 iterum maiora quaedam adduntur ab Augustino, quorum vestigia nulla reperiuntur apud Ciceronem. Error longe tractatur, quem Academici, quamquam probabili inducto a se evitari existimant, vel maxime irruant. „Non enim solum“ ille putat „eum errare, qui falsam viam sequitur, sed etiam eum, qui veram non sequitur“. Quod ornatissime ante oculos proponitur exemplo duorum viatorum idem spectantium narrato, ad quod alter quamvis temere consentiens neque tamen is, qui assensum retinens probabile secutus est, pervenit.

Quam vero perversum Academicorum decretum de assensionis retentione sit, imprimis in philosophia morali intellegendum esse §§ 35 sq. demonstratur. Illorum enim sententia: „Turpe est errare, et ideo nulli rei consentire debemus: sed tamen cum agit quisque, quod ei videtur probabile, nec peccat nec errat“ ad absurdum deducitur, cum primum contra afferatur non omnem errantem peccare, omnem autem peccantem prorsus errare, fortasse etiam

[1]) c. Ac. III 32: „An de illo errore aliquid quaerimus, quem dicunt penitus evitari, si in nullam rem animum declinet assensio? Errat enim, inquiunt, quisquis non solum rem falsam, sed etiam dubiam, quamvis vera sit, approbat: nihil autem, quod dubium non sit, invenio“.

magis. Facete exponitur, si adulescenti cuidam probabile videatur adulterare, id ei licere non solum sine sceleris sed ne erroris quidem lapsu, neque eum nisi probabiliter a iudicibus condemnandum esse, cum Academicos secutus, quidquid fecerit, non pro vero approbandum esse sibi persuaserit. Talis sententiae causa Cicero vehementissime castigatur: „Te te consulo, M. Tulli, de adulescentium moribus vitaque tractamus, cui educandae atque instituendae omnes illae literae tuae vigilaverunt .... Persuadebis nimirum, tamquam in Cumano gymnasio atque adeo Neapolitano, nihil eum peccasse, immo etiam ne errasse quidem". Perspicuum est ex his verbis neque monstrari Ciceronis responsionem Luculli libri neque editionis posterioris, id est libri IV. Academici, cum ex Ac. II 9 appareat disputationem Luculli habitam esse in Hortensi villa, quae sita erat ad Baulos, et ex fragmento quodam libri III. a Nonio pag. 65 tradito[1]) auctorem scaenam librorum III. et IV., qui respondent „Lucullo", non commutasse. Neque aliter res se habet de libris I. et II. Ac. poster., quorum disputationes ut „Catuli"[2]) fuerunt in Cumano[3]). Ergo Augustinus in animo habet aut „Catuli" aut inde sumptum editionis posterioris locum.

Nunc primum velim respiciamus c. Ac. II 26, ubi Academicorum sententia de „probabili" profertur. Quam Tullianam esse pag. 36 sq. excussimus. Eandem autem a Cicerone in Cumano gymnasio esse proclamatam elucet ex Augustini explicationibus c. Ac. III 35: „Nulli rei consentire debemus .... illud tantum meminerit, quidquid occurrit vel animo vel sensibus, non pro vero esse approbandum: id igitur audiens adulescens insidiabitur pudicitiae uxoris alienae. — Te te consulo, M. Tulli ... (etc. ut supra) ... Non enim faciendum esse adulterium pro vero sibi persuasit, probabile occurrit, secutus est, fecit: aut fortasse non fecit, sed fecisse sibi visus est[4])."

Ad certe diiudicandum mihi quidem videtur ansam praebere Ac. II 39. Ibidem Lucullus, postquam prius pauca tantum de assensu locutus est, ipse quoque in philosophia morali enucleat, quam perversa de illius retentione sententia sit: „Ut sit aliquid

---

[1]) „Ut nos nunc sedemus ad Lucrinum pisciculosque exsultantes videmus." (cf. Reidius pag. 60.)

[2]) cf. Ac. II 9; 80.

[3]) ad fam. IX 8, 1: „Feci igitur sermonem inter nos habitum in Cumano".

[4]) cf. c. Ac. II 26 l. a.

in nostra potestate, in eo, qui rei nullī adsentietur, non erit. ubī igitur virtus, si nihil situm est in ipsis nobis? Maxime autem absurdum vitia in ipsorum esse potestate neque peccare quemquam nisi adsensione; hoc idem in virtute non esse, cuius omnis constantia et firmitas ex iis rebus constat, quibus adsensa est, quas adprobavit." Cognoscitur igitur pariter ab utroque Academicos refelli. Huc accedit, quod et in „Lucullo" et in Augustini libro hac ratione disputatio de assentiendo finitur. Ut enim Cicero § 40, ita Augustinus § 37 ad aliam rem pergit. At „Lucullus" vix huius fons fuit, cum multa alia atque luculentiora in Academicis non exposita praebeat eaque ita, ut artissime in se cohaereant. Ne suo quidem ingenio ista Augustinus invenit, quod a probabilitate vel eo prorsus abhorrere mihi videtur, quia quaecumque argumenta hic profert, ea ex Academicis esse petita intelleximus, summa autem eius argumentationis nititur in exemplis duorum viatorum et adulescentis adulterantis, quae „Lucullo" non continentur.

Sed alia quoque ratione quaedam, quae nova, si non in his paragraphis, at certe in § 36, nobis occurrunt, in Ciceronis capite exorta esse opinemur: „Qui autem non putant ista probabiliter posse persuaderi, legant orationem Catilinae, qua patriae parricidium, quo uno continentur omnia scelera, persuasit". Sed Ac. II 62 [1]) libenter illius Ciceronem mentionem facere satis monstratur.

Cum vero de assensione multo plura ab Augustino explanari, quam in Lucullo inveniuntur, cognitum sit, neque ex paucis huius libri significationibus solis tam arguta argumenta eaque ornatissime exposita provenisse cogitari possit, nihil aliud nisi ex perdito quodam libro Academicorum ista esse petita [2]) concludam.

---

[1]) Lucullus Ciceroni dicit: „Provide etiam, ne uni tibi istam sententiam minime liceat defendere. an tu, cum res occultissimas aperueris in lucemque protuleris iuratusque dixeris ea te comperisse, . . . negabis esse rem ullam, quae cognosci . . . possit?"

[2]) Fingamus nunc Catulum vel librum Ac. post. vicarium fuisse fontem. Primum, si ita esset, prorsus non esset verisimile ex duobus libris (neque enim dubium est, quin Luculli materia tractetur §§ 30 sqq.) Augustinum ipsum gravissimam istam refutationem, quae est simplex atque in se coniuncta, confecisse. Deinde etiam alia causa obstat: cum tam vehementissime Cicero vituperetur in § 35, quod adulescentes ad qualiacumque scelera sententia sua illiciat, hanc ipsam iam ante istam adversarii vituperationem illius nescio quo loco ab Academicorum patrono expositam fuisse consentaneum est. Neque obstat, quod Hirzelius

Fine facto Academicos refellendi §§ 37 sqq. Augustinus demonstrat, quomodo isti perducti sint, ut nihil posse percipi profiterentur. Cum enim retractatur c. Ac. II 24 tantummodo

---

(Quaest. III, 300 sqq.) evicit, sententias modo a Lucullo revictas Ciceronem in responsione libri II. proferre. Nam de Lucullo tantum hoc demonstratum est neque habemus, quare eandem et in Catulo conscribendo illius rationem fuisse concludamus. Contra infra ostendam extrema quaestione Ciceronis responsionem in Academicorum priore parte, quae quidem restitui possit, talem fuisse, ut defendendi causa nova quaedam, quae antea nondum erant revicta, afferrentur. Sed iam hic inspiciamus Ac. II 79: „Idcirco heri non necessario loco contra sensus tam multa dixeram". Reidius (in editionis praefatione pag. 55) ex his verbis non probabile esse Ciceronem in „Catulo" singulis rebus novae Academiae decreta confirmasse recte mihi videtur collegisse. Fortasse autem ne de adversarii quidem huius libri partibus ita incerta ex iisdem confici possunt. Neque enim Ciceronem, ut ea effaretur, commotum esse, si vel quadam tantum ex parte pro sensuum cognitione ab illo dicta essent, intellego. Sin hic in sensibus singula non persecutus est, ne in ceteris quidem hoc factum esse meo iure suspicor. Denique Lucullus Ac. II 10 suam causam hesterno sermone labefactatam esse non confessus esset, si illic Cicero pro assensione cohibenda ea dixisset, quae paulo ante tam evidenter ad absurdum deducta essent. Itaque cum Augustinus in Cumano Ciceronem pronuntiasse perversam de assensione et errore sententiam dicat, si editionem priorem adhibitam esse credamus, hoc solum restet, ut argumenta, quibus probabile et assensionis suspensio redarguuntur, ex Lucullo deprompta sint. At quoniam neque hoc fieri potuisse et tamen Luculli rationem §§ 37—39 miro modo cum Augustini concinere cognitum est, ex hoc perdito libro Ac. post., in quo Luculli argumenta multo copiosius atque acutius explanata erant, auctorem hausisse sequitur. Hoc si rectum sit, nobis licet assentiri Loerchero ex verbis Ac. II 37: „... nunc de adsensione ... pauca dicemus, non quo non latus locus sit" .... rato (pag. 251) etiam plura Ciceroni in fonte proposita fuisse eaque prorsus esse in „Lucullo" praecisa. Tamen cur fieri non potuit, ut editionis alterius ea parte, quae respondebat Ac. II 37—39, adiungerentur?

Atque etiam alia causa negaverim fieri potuisse, ut iam in Catulo ea, quae c. Ac. III 30—36 effusius demonstrata sunt, explicarentur. Plane contraria opinio suadetur Ciceronis verbis ipsius. Lucullus enim in § 37 causam, qua commotus tam pauca de illa tantum re dicere velit, post verba supra allata ita profert: „sed paulo ante iacta sunt fundamenta". Quibus respici explicationes de perceptione superiores ex iis, quae ibidem subsequuntur, apertum est: „Nam cum vim, quae esset in sensibus, explicabamus, simul illud aperiebatur, comprehendi multa et percipi sensibus; quod fieri sine assensione non potest". Sin pro assensione iam in „Catulo" copiosiora essent explicata, haec gravior causa breviter amplectendi fuisset, quam quod in libro II. de perceptione dictum esset. Neque igitur Lucullus, quoniam suae rationis causa ei afferenda esse videbatur, qua imprimis ut illam ingrederetur, commoveri potuit, eam de industria silentio praeterisset. Immo mihi persuasum est c. Ac. III 30—36 ex editione priore non petita esse. Cum autem Ciceroni Ac. II 37—39 conscribenti multa plura de assensione proposita fuisse cognoverimus, nihil probabilius est quam Varronem in libro III. haec argumenta perstricta tantum a Lucullo explesse.

adumbratum, quaestio est de proposito indicato verbis c. Ac. III 14: „Deinde . . . ostendam, quae causa fuerit Academicis occultandae sententiae suae.“ Omnia autem de hac materia dicta, quae pag. 26 breviter exposui, in Academicis traditis desunt. Inspiciantur velim hi loci:

c. Ac. III 37:

Plato . . . **dicitur** post mortem Socratis . . ., quem **singulariter dilexerat,** a Pythagoreis etiam multa didicisse. Pythagoras autem . . . immortalem esse animum credidit. Igitur Plato adiciens **lepori subtilitatique Socraticae** . . . naturalium divinarumque rerum peritiam, quam ab eis, quos memoravi, diligenter acceperat . . ., perfectam dicitur composuisse philosophiae disciplinam.

Rep. I 16:

. . Platonem Socrate mortuo se et hominibus Pythagoreis et studiis illis dedisse. Itaque cum Socratem **unice dilexisset,** . . . **leporem Socraticum subtilitatemque** sermonis cum obscuritate Pythagorae et cum illa plurimarum artium gravitate contexuit.

Tusc. I 39:

Platonem **ferunt** didicisse Pythagorea omnia primumque de animorum aeternitate non solum sensisse idem quod Pythagoram, sed rationem etiam attulisse.

Tam luculentae consensiones in vocabulis rerumque nexu non explicantur nisi Augustinus in hac paragrapho Ciceronem ipsum imitatus est[1]). Cum vero descriptio illius in se conexa inspiciendis istis duobus alterius locis exoriri non potuerit, amissum

---

[1]) Neque igitur intellego, quomodo sustineatur Hirzelii sententia, quae est: Augustinum paragraphos 37 sqq. non ex fonte quodam sumpsisse, sed suam ipsius tantum opinionem explicare. Duos locos ille affert ad eam confirmandam, c. Ac. III 37: „Audite iam paullo attentius, non quid sciam, sed quid existimem, . . . quale mihi videatur esse totum Academicorum consilium“ et III 38: „haec et alia huius modi mihi videntur inter successores eius (sc. Platonis) . . esse . . . pro mysteriis custodita.“ Ego quidem addo tertium: c. Ac. III 14: „Deinde, ut mihi videtur, ostendam quae causa fuerit Academicis occultandae sententiae suae.“ Sed quaero, num ista re vera sint accommodata ad persuadendum! Quasi vero illa opinio, si in fonte enucleata fuisset, et Augustino ipsi neque fontis iam auctori videri modo potuerit. Profecto ex comparatione vidimus idem ab utroque auctore pro opinione (ferunt-dicitur) habitum esse. Haec satis sint, ut cetera omittam, ad Hirzelium refellendum. Etenim prorsus non recte mihi quidem videtur interpretatus esse c. Ac. III 43 (Hirz. III, 218 sqq.).

quendam eius locum adhibitum esse patet. Ex quonam alio opere nisi ex Academicis opinemur?

Deinde Platonem, ut ibidem[1]) apud Augustinum dictum est, mundum sensibilem vel opinabilem ab altero intellegibili, „in quo ipsa veritas habitaret", seiunxisse in Ac. II 142 his verbis: „Plato autem omne iudicium veritatis veritatemque ipsam abductam ab opinionibus et a sensibus cogitationis ipsius et mentis esse voluit" et Ac. I 30 commemoratur. Ista autem, quae Plato eiusque successores de veritate et opinione sentiebant, Augustinus in § 38 „pro mysteriis esse custodita" existimat. Quibus verbis Academica spectari cognoscitur ex Ac. II 60[2]): „quae sunt tandem ista mysteria? aut cur celatis . . . sententiam vestram?"

Sed de Academicorum vera sententia in fine libri III. dicta artissime cum §§ 16 sqq. libri II. c. Ac. coniungenda esse imprimis apparet ex § 40. Ibidem scriptum invenimus Carneadem id, quod in hoc mundo ab hominibus ageretur, probabile et veri simile appellavisse, cum non ignoraret idem esse simile falsi. „Quomodo enim", pergitur, „. . sapiens . . . simile sequitur veri, cum ipsum verum quid sit ignoret? Ergo illi norant et approbabant falsa, in quibus imitationem laudabilem rerum verarum animadvertebant." Revincuntur ergo ii, qui velut Trygetius c. Ac. II 16 sqq.[3]) vocabulo „veri simile" offenduntur et hoc ipso Academicos refelli posse putant. Simili autem ratione a Cicerone ipso c. Ac. II 26[4]) affirmatur, cum huius verba afferuntur, adversariorum impetus reiectos esse. Neque aliter iam paulo ante in eodem libro auctor de illorum vera sententia iudicavit (c. Ac. II 24)[5]): „non enim illos viros eos fuisse arbitror, qui rebus nescirent nomina imponere; sed mihi haec vocabula videntur elegisse . . . ad significandam vigilantioribus sententiam suam . . . . . etiam contra eos ipsos non invitus armabor, si non occultandae sententiae suae causa, ne ab eis . . . mentibus . . quasi profanis quaedam veritatis sacra proderentur, . . . quae in eorum libris legimus, defenderunt." Haec quam optime cum § 40 cohaereant, ex iis videas, quae illa superiora Augustini verba subsequuntur: „Sed quia hoc tamquam profanis nec fas nec facile erat ostendere, reliquerunt

[1]) cf. pag. 26.
[2]) sic Krischius pag. 186 et Hirzelius pag. 218.
[3]) pag. 22.
[4]) pag. 36.
[5]) pag. 35.

posteris ... signum quoddam sententiae suae." Cum tali comparatione respecta non dubium sit, quin c. Ac. III § 40 artissime conectenda sit cum II §§ 16 sqq., in fine igitur demum libri III. enucleate declaretur id, de quo Augustinus se acturum esse c. Ac. II 24 et III 14 significavit, etiam aliud efficitur. Supra pag. 38 sq. exemplis illustravi ab auctore interdum elocutiones quasdam iam adhibitas miro modo iterari, quod nobis ita videbatur explicandum esse, ut ille non tam se ipsum quam fontem imitatus sit. Huius suspicionis confirmandae causa non minus respiciendum est eius verborum cohaerentiae c. Ac. II 24, cuius simillima nobis occurrit in II 29, elocutionem „quasi profanis" etiam in lib. III. 40. in eodem sententiarum conexu repeti. . . .

Etsi satis adhuc perspicuum est in § 40 Ciceronis sententias proferri, tamen gravissimum argumentum nititur his dictis: „Illos autem bene dialecticos de verbis movere quaestionem insultantes ... prohibebant", quae adiunguntur illis explicationibus de probabili et veri simili. Respicientes enim c. Ac. II 24 sqq. Alypium pari modo argumentationem Trygetii, qui ex verbo „veri simile" Academicos redarguere studuit, reicere videmus, cum „ex auctoritate" Ciceronis „in verbi controversiam" illabi „turpissimum sit". Quod deinde in § 26 huius ipsius verbis confirmatur. Cum autem et c. Ac. II 24 et III 40 vocabulis „veri simile" et „probabile" explicetur Academicos aliter sensisse atque dixisse neque igitur de illis certandum esse, quin, qua ratione Augustinus §§ 37 sqq. utitur, ut horum philosophorum veram sententiam declaret et defendat, eadem Tulliana sit, quis dubitet?

§ 41[1]) breviter comprehenditur, quod c. Ac. II 15 erat commemoratum, qualis Academia aetate Ciceronis auctoribus Philone et Antiocho fuerit. Haud difficile hic quoque similitudines quaedam cum Academicis inveniuntur. Cicero enim Ac. II 69 Antiochum opinatur, ut Academiam relinqueret, eo commotum esse, quod „sustinere concursum omnium philosophorum" non potuerit. Eadem autem causa defectionis ab Augustino affertur verbis: „Deinde in nostrum Tullium conflictio ista duravit ... ultimo spiritu Latinas literas inflatura ... Quibus tamen ventis ... Antiochus satis .. dispersus est"[2]). Deinde Antiochus vituperatur, quod Academiam veterem Stoicorum decretis contaminaverit: „. . Antiochus . . audi-

[1]) Krischius pag. 146, 166; Zeller pag. 592 adn. 3, 594 adn. 2.

[2]) Hic auctorem pendere a loco Ciceronis Academicorum nescio quo perdito suspicatus est Hoyer pag. 55.

tis Philone Academico et Mnesarcho Stoico in Academiam veterem ... irrepserat nescio quid inferens mali de Stoicorum cineribus, quod Platonis adyta violaret." Idem Antiocho Ac. II 69 crimini datur verbis his[1]): „Didicit apud Philonem tam diu, ... Eadem dicit quae Stoici .. cur non se transtulit ad alios, et maxime ad Stoicos? eorum enim erat propria ista dissensio. quid eum Mnesarchi paenitebat .. unde autem subito vetus Academia revocata est?"

Concedendum igitur est in hac paragrapho eandem materiam atque Ac. II 69 tractari, eam vero cum consilio declarandi, quae vera fuerit Academicorum sententia, nihil commune habere.

Ineunte § 43 Augustinus de superioribus iudicat ita: „Hoc mihi de Academicis interim probabiliter .. persuasi. Quod si falsum est, nihil ad me, cui satis est iam non arbitrari non posse ab homine inveniri veritatem. Quisquis autem putat hoc sensisse Academicos, ipsum Ciceronem audiat. Ait enim illis morem fuisse occultandi sententiam suam, nec eam cuiquam, nisi qui secum ad senectutem usque vixisset, aperire consuesse"[2]). Itaque cum in ea ipsa parte, qua Augustinus declarat, quale sibi videatur esse consilium Academicorum, gravissima vestigia Tulliana invenerimus, ex illius confessione eo certius sequitur[3]) eum etiam omnia cetera, quae §§ 37 sqq. sunt exposita, ex Cicerone mutuatum esse[4]) eaque (excepta § 41) ex loco quodam Academicorum amisso.

Finitur disputatio, cum Augustinus, quamvis Academicorum rationibus a sapientia percipienda impeditus sit, tamen se quaestione habita confirmatum aliquando eam inventurum esse sperat. Deinde sequuntur haec: „Nulli autem dubium est gemino pondere nos impelli ad discendum, auctoritatis atque rationis. Mihi autem certum est nusquam prorsus a Christi auctoritate discedere." Haec verba primum legenti auctor ex se ipso protulisse videtur. Sed respiciatur velim Ac. II 60, ubi defensor Academicorum interrogatus, cur isti celent sententiam suam, respondet: „Ut, qui audient, ratione potius quam auctoritate ducantur"

---

[1]) Hoc Zeller III, 1 pag. 597 cognovit. Neque vero cetera, quae hic pag. 526 et Hirzelius Quaest. III pag. 320 de hac paragrapho contulerunt, memoranda esse mihi videntur.

[2]) Krischius pag. 186.

[3]) Zeller III, 1 pag. 594 adnot. 1.

[4]) Sic enim verba Augustini intellegenda esse ego quidem arbitror. Longe aliter Hirzel III 218. Conf. adnot. pag. 72.

et alter huic: „Quid, si utrumque, num peius est? Unum tamen illud non celant nihil esse quod percipi possit. An in eo auctoritas nihil obest? Mihi quidem videtur vel plurimum. Quis enim ista tam aperte perspicueque et perversa et falsa secutus esset, nisi tanta in Arcesila, multo etiam maior in Carneade et copia rerum et dicendi vis fuisset?“ Lucullus igitur praecipue auctoritate homines, ut Academicorum sententiam sequerentur, perductos esse existimat. Idem vero Augustinus pronuntiavit, cum ibidem diceret: „A quo me negotio (veritatis investigandae) quoniam rationes Academicorum non leviter deterrebant, . . . contra eas . . . munitus sum.“ Ergo cum uterque in eodem rerum conexu iisdem duobus vocabulis utatur, quae haud ita saepe tali modo inter se coniuncta inveniamus, non est dubium quin hic quoque Augustinus Ciceronis Academica imitatus sit.

Sed nunc ad nostram quaestionem respicientes complectamur, quae de disputatione contra Academicos a libri II. 11 usque ad finem libri III. habita cognovimus: c. Ac. II 11 et 12 decreta Academiae novae, ut discipuli Trygetius et Licentius instituantur, ab Augustino paucis verbis explicantur. Quaestio ipsa incipit § 14 ab iisdem rebus, quibus Cicero Ac. post. I 43 sqq. de Academicis disserere exorsus est. Rationis autem hos oppugnandi et defendendi, quam Augustinus a lib. II. 16 usque ad lib. III. 20 persecutus est, nulla similis nobis occurrit in Academicis traditis praeter paucas tantum significationes, quae leviores sunt. Quae vero libri III. 21—36 exponuntur, ea „Lucullo“ quoque continentur. Tum §§ 37 sqq. iterum talia sequuntur, qualia Academica nunc non praebent. Neque hoc mirum est, cum id, quod his paragraphis Augustinus enarrat, ut pag. 73 sq. enucleatum est, illos quae vere sentirent occultare consuesse, aptissime coniunctum sit cum libri II. §§ 24 et 26. Tamen hos locos ex Ciceronis quodam Academicorum libro eoque perdito esse sumptos conclusimus. Iam Krischius Varronem in fine libri III. professsum esse pag. 186 suspicatur Academicis „morem fuisse occultandi sententiam suam nec eam cuiquam, nisi qui secum ad senectutem usque vixisset, aperire consuesse“ (c. Ac. III 43). Ac. primum quidem concedendum est haec verba, etsi Augustinus Tulliana affert, tamen non solum Ciceronem ipsum sed etiam Varronem pronuntiare potuisse. Sed hoc fragmentum Ciceronis, cum §§ 37 sqq. copiosius demonstrata breviter complectatur, quae ex eodem esse exscripta nobis colligendum erat, cum

his ipsis artissime cohaeret. Quae a quonam in Academicis explicata sint, Ac. II 60 his: „Volo igitur videre quid invenerint." „Non solemus," inquit, „ostendere" . . . „cur celatis . . . sententiam vestram?" spectatis mihi quidem non dubium videtur esse. Lucullus ergo, ut Ac. II 32: „volunt enim — et hoc quidem vel maxime vos animadvertebam moveri . ." et Ac. II 42 aliisque locis, sic hic quoque certas quasdam patroni Academicorum explicationes in animo habet. Deinde quomodo Varronem, Antiochi partes in Acad. post. secutum [1]), ad calcem libri III. declarasse putemus Academicos, quos ipsos paulo ante revicit, tantummodo impugnandi causa Stoicos nihil ab hominibus percipi docuisse [2]), cum longe aliter sentirent? Ita si egisset, rationem Academiae novae defendisset suamque argumentationem sustulisset. Id enim ei demonstrandum erat, quod Antiochus demonstravit [3]), recentiorum decreta recedere ab antiquorum, neque vero illud, quod Augustinus pressit c. Ac. III 37 sqq., illos Platonis dogmata restricte servasse. Immo ex Ac. I 13 concludendum nobis est hoc a Cicerone susceptum esse, quem Varro in Ac. I 43 [4]) adhortatur, ut causam suae defectionis ab antiquorum ratione explicet. Ciceronis igitur se prorsus non defecisse ab Academia Platonis evincendi munus fuit. Contra Stoicos enim solos omnem rixam exortam esse in Ac. I 44, Academiam vero a se probatam sibi veterem videri in I 46 affirmat. Cum hac Ciceronis ratione optime congruunt ab Augustino c. Ac. III 37 sqq. adhibita, quibus non tam a Platone quam a Zenone recentiores dissensisse declaretur, cum hic, postquam ille docuisset duos esse mundos, unum corporum, alterum rationis, vel opinionis et veritatis, negavisset quidquam esse praeter corpora ideoque necesse esset Arcesilae concludere nihil percipi posse. Sed cum etiam explanationes c. Ac. III 40 tales esse, qualis Ciceronis sententiae defensio fuisset, iam supra pag. 74 cognoverimus, non dubium potest esse, quin hic ipse in Academicis ea, quae legimus c. Ac. III 37 sqq., sui defendendi causa protulerit. Quodsi Augustinus de superioribus explicationibus ad

---

[1]) ad fam. IX 8, 1 dicit Cicero Varroni: „Tibi dedi partes Antiochinas, quas a te probari intellexisse mihi videbar; mihi sumpsi Philonis".

[2]) cf. pag. 26.

[3]) Ac. I 13: „Philo . . negat in libris . . . duas Academias esse erroremque eorum, qui ita putarunt, coarguit." „Est," inquit (sc. Varro), „ut dicis; sed ignorare te non arbitror, quae contra Antiochus scripserit". c. Ac. II 15: (cf. pag. 33).

[4]) cf. pag. 28.

finem sermonis in § 43 dicit haec: „Quisquis autem putat hoc sensisse Academicos, ipsum Ciceronem audiat. Ait enim . . (etc.)", necessario mihi quidem videtur sequi hoc quoque fragmentum Tulli ipsius neque Varronis verba fuisse, ut Krischius putat. Haec tam copiose ab Augustino relata, quorum levia tantum vestigia in traditis Academicis invenerimus, in parte quadam et prioris et posterioris editionis amissa exstitisse, id est in Catulo et in libro II. Ac. post., iure ac merito suspicati sumus. In hac enim editione Lucullum ita dispositum fuisse, ut oratio Luculli tertium et Ciceronis responsio quartum librum comprehenderet, ex fragmentis a Nonio collatis[1]) dilucide apparet[2]). Itaque sequitur Catuli explicationes complesse libros I. et II.. Cum autem libri I. tantummodo minor pars amissa sit, haud scio an in ea locus illi rei explanandae non satis latus fuerit.

Iterum si inspexerimus Ac. II 60, ubi Lucullus interrogat: „Quae sunt tandem ista mysteria, aut cur celatis . . . sententiam vestram?", quis dubitet, quin haec pertineant ad Ciceronis quandam orationem antea habitam? Hanc vero, unde „ista mysteria" c. Ac. III 38 repeti videntur (nam Augustinum c. Ac. III 37 sqq. mutuatum esse ab illo nobis persuasum est), quonam in libro putas fuisse nisi in Catulo? Porro c. Ac. II 26, quo, quid sit probabile vel verisimile, definitur neque de vocabulis certandum esse Ciceronis ipsius verbis demonstratur, artissime cohaerere cum § 40 libri III. cum probaverimus[3]), nostro iure concludimus et hoc fragmentum[4]): „Talia" inquit Academicus etc. (cf. pag. 36)" et illam definitionem, quam non esse seiungendam ab hoc ipso intelleximus[5]), ipsa quoque Catulo tribuenda esse. Quodsi Cicero non licere de „verisimili" in verborum controversiam incidere adversarium admonuit, hunc antea isto vocabulo Academicorum sententiam labefactare studuisse est apertum, qualem rationem Augustinus quoque c. Ac. II 16 sqq. persecutus est.

Iam vero editionem posteriorem illum adhibuisse postquam vidimus, cuinam libro c. Ac. II 16 sqq. et III 37 sqq. assignanda sint, quaeramus. Quam ob rem afferam Ac. I 13: „De te ipso quid est, inquit (Varro), quod audio? . . . relictam a te veterem

---

1) pag. 28 (Plasberg.: edit. pag. 61 sq., 93, 97.)
2) Krischius: 184 et 186.
3) pag. 73 sq..
4) hoc Plasberg. ed. Ac. pag. 59 in fragmentis libri II. numeravit.
5) pag. 36 sq..

Academiam, ... tractari autem novam" — (Cicero): „Quamquam Antiochi magister Philo ... negat in libris ... duas Academias esse erroremque eorum, qui ita putarunt, coarguit." — Est, inquit (Varro), ut dicis; sed ignorare te non arbitror, quae contra Antiochus scripserit. — Immo vero et ista et totam veterem Academiam .... renovari a te .... velim". Quoniam deinde Varro §§ 15—42 describit, quemadmodum vetus Academia a Socrate usque ad Zenonem progressa sit, alterum perfecit, quod ad suum munus pertinebat. Tum in § 43 adversarium incitat sic: „Tuae sunt nunc partes, qui ab antiquorum ratione desciscis, ... docere, quod et qua de causa discidium factum sit, ut videamus, satisne ista sit iusta defectio". Ex his verbis Ciceronis esse demonstrare elucet se a sententia antiquorum prorsus non dissensisse. Hoc re vera ab eo suscipitur in extrema parte Academicorum post., quae supersunt. In iis, quae amissa sunt, libri I. de Carneade et rixa, quae huic cum Mnesarcho et Antipatro Stoicis erat, esse commemoratum Krischius[1]) recte suspicari mihi videtur; nixus enim est fragmento a Nonio pag. 65 tradito: „Cicero Academicorum lib. I.: Quid autem stomachatur Mnesarchus, quid Antipater digladiatur cum Carneade tot voluminibus?" Atque aliud fragmentum libri I. idem attulit a Nonio pag. 43 servatum: „quicum similitudine verbi concinere maxime sibi videretur", quo Antiochi nescio quo modo mentionem factam esse concedo. Neque vero ei assentior, quod in Ciceronis oratione ea, quae scripta invenimus in § 15 c. Ac. libri II.[2]), inclusa fuisse iudicat[3]), cum memoria tantum rerum, quae fuissent in Academia aetate Antiochi, repetita sit. Quod si ita esset, Cicero modum sibi ab altero verbis § 43 supra allatis positum excessisset, quippe qui defectionis suae rationem tantum reddere deberet. Contra illa in § 15 explicata Varronis partes attingebant. Huic enim, cum Cicero unam esse Academiam in Ac. I 13 affirmasset et I 43 sqq. ostendisset, secundum id, quod illi primo opposuisset: „Est, ut dicis, sed ignorare te non arbitror, quae contra [Philonis] (sc. qui negat duas esse Academias) Antiochus scripserit", huius Ciceronis et Philonis sententiae contraria probanda erat. Neque vero id ipsum narratorum more ab adversario suscipi eius intererat. Immo cum in Ac. I 13 a Cicerone commotus, ut contra Philonem Antiochi argumenta

[1]) pag. 179 sq..
[2]) cf. supra pag. 33.
[3]) pag. 181.

afferret, alterum, quod ille ibidem postulaverat, iam exsecutus sit, quin post Ciceronis orationem in hanc quoque partem huius adhortationi cesserit, non dubium potest esse. Sed adversarium Ciceronis pari modo atque Augustinum (cf. pag. 33) affirmare novae Academiae decreta a veteribus prorsus abhorrere iam Ac. pr. II 13 videmus. In posteriore autem editione auctorem hoc sibi ipsi memorandum reservasse nego. Qui tamen ratus Alypium, quia § 14 sententiam Ciceronis sequatur, et sequente paragrapho huius partes sumpsisse adversetur, primum velim Augustini explicationes respiciat, quae in II 16 sqq. adversarii sententias, III 37 sqq. Ciceronis complectuntur. Itaque cum Varronem ea, quae supra significata sunt, explanasse neque vero in libro I. post Ciceronis orationem, cuius initium solum traditum est, oratorem exstitisse probabile sit, quin hanc responsionem libro II. tribuam, facere non possum. Krischius ergo ratus pag. 181 sq. fieri non posse, quin in libro II. Varro continuam orationem habuerit, mihi errare videtur.

Post locum § 15 supra a nobis pertractatum Augustinus de Antiocho ita iudicat: „ipsos etiam Academicos oppugnans, qui se veri simile contenderent sequi, cum ipsum verum se ignorare faterentur; multaque argumenta collegerat, quibus nunc supersedendum arbitror.“ Talem argumentationem a Varrone quoque in libro II. adiunctam esse suspicari licet. Neque tamen haec verba in fonte exstitisse arbitror, sed Alypius, cuius multa adversarii argumenta quam plurimum praetermittere interesset, universe significat tantummodo ista, quae non eius sed Augustini enucleare munus erat. In his fuit id, quod postea II 16 sqq. Augustinus attulit. Cuius argumentationis nulla in Lucullo similis invenitur. At verisimile Ac. II 33 sqq. perstringitur tantum; iam alio loco de eodem actum fuisse paulo ante indicatur verbis § 32[1]): „Volunt enim (et hoc quidem vel maxime vos animadvertebam moveri) probabile aliquid esse et quasi verisimile“. Quod nisi in Catulo et libro II. Ac. post. explanatum fuisse non potest. Quibus satis cognitis et Carneadis vituperationem in § 27 libri II. expressam, quae eadem refellendi ratione nitatur[2]), Varronis libri II. partibus ascribam. At hoc veri simile ab adversario Ciceronis in Academicos telum iactum esse iam supra nobis elucebat. Itaque omnia,

---

[1]) Idem Krischius pag. 148 suspicatus est.

[2]) pag. 37 sq..

quibus talis argumentatio revincitur, id est, quae quidem in §§ 24 sqq. libri II. excepta paragrapho 27 Tulliana esse intellexerimus[1]), et III 37—40 et fragmentum III 43 Ciceronis responsionem libri II. esse complexam consentaneum est. Aliam fuisse seriem rerum apud Ciceronem atque apud Augustinum huius verba ipsa testantur. Etenim postquam Academicos „verisimili" et „probabili" vocabulis usos esse occultandae tantum suae sententiae causa in II 24 dixit, pergit ita: „Si quid est autem, quod nunc disputabimus, adversus eos erit, qui Academicos inventioni veritatis adversos fuisse crediderunt ... etiam contra eos ipsos non invitus armabor, si ... ex animo illa, quae in eorum libris legimus, defenderunt". Ex verbis autem eius § 30: „Quaeritur ergo inter nos, utrum illorum argumentis probabile sit nihil percipi posse ac nulli rei esse assentiendum ..." id, quod posterius agendum illic sibi proposuit, hic prius eum in proxima disputatione tractare velle videmus. Hoc nullo alio modo nisi eo, quod auctor a dispositione fontis recessit, mea quidem sententia explicari potest. Quae qualis fuerit, fortasse ex his § 14 libri III. verbis cognoscatur: „Prius pauca contra eos disseram, quibus videntur disputationes illae adversari veritati. Deinde .. ostendam, quae causa fuerit Academicis occultandae sententiae suae." Sententia enim, quae continetur priore enuntiato, plane respondet illi § 24, qua non dissimili dicendi modo Augustinus defendit Academicos, quod non fuerint adversi inventioni veritatis. His igitur verbis ad propositum illic indicatum revertitur et §§ 15 sqq. iterum digressus idem in §§ 19 et 20 peragit[2]).

Sed cui Academicorum loco c. Ac. III 2—13, quae Augustinus ex illo commutato consilio interposuit, inserenda sint, nunc demonstrandum nobis est. Quam ob rem accuratius § 20 inspiciamus. Hic, quod ibidem dicit: „Non quidem dum hic vivis sapiens eris (est enim apud deum sapientia nec provenire homini potest)", talibus autem verbis Academicos non adversos fuisse veritatis declarat, Alypio assentitur, qui in § 9 concessit: „Si inveniri sapiens qualem ratio prodit, queat, potest mihi videri scire sapientiam" et in § 11 numen aliquod solum posse homini demonstrare veritatem professus est. Illa autem Augustini cum Alypio consentientis sententia quantopere cum eis, quae §§ 37 sqq. eiusdem libri

[1]) pag. 35 sqq..
[2]) pag. 24.

exposita sunt, cohaereat, facillime intellegatur ex his: plano facto in § 37 Platonem a mundo opinionis, in quo „scientia" non posset „generari", mundum veritatis seiunxisse, haec ab Academicis „pro mysteriis esse custodita" in § 38 Augustinus putat. Deinde pergit ita: „Non enim . . facile ista percipiuntur nisi ab eis, qui se ab omnibus vitiis mundantes in aliam quandam plus quam humanam consuetudinem vindicaverint". Haec plane cum iis concinunt, quae in § 20 illa supra allata subsequuntur: „non . . hic . . sapiens eris . . . . sed, cum te tali studio (sc. sapientiae) satis exercueris atque mundaveris, animus tuus ea post hanc vitam, id est, cum homo esse desieris, facile perfruetur?" Ergo illi tres loci (§§ 10 et 11, 20, 37 sq.) quin in fonte arte fuerint inter se conexi, non dubium potest esse. Hoc etiam magis confirmabitur, si, quo in conexu rerum Alypius § 11 suam sententiam explanet, consideraverimus. Itaque velim eius haec verba perscruteris (l. a.): „suam . . imaginem (sc. dicent Academici) et quasi speculum quoddam in Proteo illo animadverti oportere, qui traditur eo solere capi quo minime caperetur, investigatoresque eius numquam eundem tenuisse nisi indice alicuiusmodi numine". Ex his verbis Academicos sententiam suam obscurasse apparet. Perspicuum igitur est hanc quoque paragraphum ad III 37 sqq. pertinere. Hoc eo clarius fit eo, quod illa verba optime cum his c. Ac. III 43: „Ait enim illis morem fuisse occultandi sententiam suam . . ." congruunt, quibus Augustinum antea dicta breviter complecti iam cognovimus[1]). Neque vero ab Alypii verbis separanda sunt, quae Augustinus huic assentiens in § 13 de sensuum mendacio una cum Proteo profert: „Nam et Proteus ille quanta abs te . . . commemoratus . . intentione in optimum philosophiae genus. Proteus enim ille . . . in imaginem veritatis inducitur. Veritatis . . Proteus in carminibus ostentat sustinetque personam, quam obtinere nemo potest, si falsis imaginibus deceptus comprehensionis nodos . . . dimiserit. Sunt enim istae imagines, quae . . . . per istos sensus nos etiam, cum veritas tenetur et quasi habetur in manibus, decipere . . . moliuntur." Imprimis hoc observamus, Augustinum cedere in Alypii sententiam eamque longius exponere, quia eandem rationem c. Ac. II 24 sqq. et III 40 persecutus his locis ipsis quoque eius partes suscepit. Cum autem § 11 pertinere ad illa, quae §§ 37—40

---

[1]) pag. 75.

accuratius tractantur, cognoverimus, §§ 11 et 13 libro II. Tulliano tribuendas esse non temere mihi concludere videor. Tali modo Augustini explicationes recte componi ex eo, quod imagines, de quibus in § 13 agitur, in § 40 quoque commemorantur, videre licet. Ibidem enim in explicando veri simili legimus: „Probat enim bene imaginem, quisquis eius intuetur exemplum". In mentione autem imaginum fallacium fortasse idoneum locum inveniamus, quo et in „Catulo" et in ed. post. libro II. tam multa contra sensus esse dicta Cicero ipse Ac. II 79 et fragmenta a Nonio servata testantur. Deinde, quod Cicero de Catulo libro eodem loco dixit: „quos (sc. sensus) tu, Luculle, communi loco defendis; quod ne ita facere posses, idcirco heri non necessario loco contra sensus tam multa dixeram," nunc demum plane intellegemus. Iam supra id Ciceronem, si antea in „Catulo" ab adversario graviora pro sensuum veritate prolata essent, pronuntiaturum fuisse negabam. Praeterea Cicero summam huius libri disputationis haud ita cum talibus explicationibus cohaesisse mihi videtur monstrare.

Quoniam constat in libro II. Ac. post. Academicorum sententiam defensam esse eo, quod talem sapientem, qui veritatem perciperet, in hoc mundo posse inveniri negabatur, de Augustini §§ 5 sqq. libri III. certissima conclusio restat. Sequitur enim necessario antea illorum patronum, ut sapientem scire veritatem concederet, ab adversario pressum esse, quae argumentatio illis paragraphis continetur. Cum autem §§ 2—4 non esse seiungendas a §§ 5 sqq cognitum sit[1]), etiam c. Ac. III 2—13 libro II. editionis posterioris tribuam. Consentaneum est eadem et in Catulo amisso exstitisse. Fortasse vero hic quispiam illas §§ 11 et 12 partes, quas cum Ac. II 27 sqq. plane congruere supra[2]) vidimus, excludat easque ex libro III. esse sumptas putet. Neque tamen habeo, cur hoc approbem; propterea ex Ac. II 28 affero haec: „Ex hoc illud est natum, quod postulabat Hortensius, ut id ipsum saltem perceptum a sapiente diceretis, nihil posse percipi". Ergo iam in Catulo libro ab adversario Academicorum affirmatum erat de non percipiendo saltem sapientem aliquid certi habere concedendum esse. Quae cum ita essent, Ciceronem sui defendendi causa illic declarare necesse erat Academicum sapientem ne de nesciendo quidem quicquam certi scire. Tum demum, cum eos tali modo suam ipsorum

1) pag. 43.
2) pag. 44 sq..

sententiam tollere demonstratum esset, ille sapientem scire veritatem coactus concedere nullam aliam defensionis rationem invenit, nisi ut, quod vere sentirent, celasse Academicos profiteretur. Quodsi res in Catulo tractatae Ac. II 27 sqq. repetuntur, hoc nihil novi est: talia saepe apud Ciceronem reperies. Non est igitur, cur illas §§ 11 et 12 partes cum Ac. II 27 sqq. congruentes ex libro Acad. post. II. profluxisse negemus.

Nunc id quoque intellegemus, quod Augustinus dispositionem in II 24 pronuntiatam II 30 commutavit: Etenim tum demum, postquam, ut sapientem veritatem percipere confiterentur, illos pressit, eos non fuisse adversos inventioni veritatis ostendere potuit.

Re vera autem auctorem explicationibus libri III., quas modo perscrutati sumus, Ciceronis sententias reddere ex his verbis c. Ac. III 14 apparet: „Tamen ne aut Academicorum argumenta quasdam nebulas videantur offundere aut doctissimorum virorum auctoritati, inter quos maxime Tullius non movere nos non potest, superbe nonnullis resistere videamur, . . . prius pauca contra eos disseram, quibus videntur disputationes illae adversari veritati". „Illis disputationibus" ea, quae superioribus paragraphis erant explanata, spectari mihi quidem dilucidum est. Itaque cum ille veritus, ne Ciceronis auctoritati repugnare videatur, illas disputationes non abhorrere a veritate declarare in animo habeat, his Tullii sententias contineri ipse profitetur. Neque vero hoc iam sequitur, cum in § 15 ei describere placeat, „quale sit unde amatores Academicorum gloriari nimium solent." Huius loci sententias quamvis breviter significatas in Ac. II 7, id est in prooemio huius libri, inveniri iam supra pag. 47 comparando constituimus. Sumamus, quod Krischius[1]) opinatur, in libro II. Ac. post. hoc fragmentum fuisse. Si ita esset, et in Catulo idem esse expositum concludas. At Ciceroni, quod Ac. II 7[2]) quibusdam Academiae rationis reprehensoribus respondet, vix necessarium visum esset, si Academicos principem inter ceteros philosophos locum tenere iam in Catulo demonstrasset; neque tam abrupte adiunxisset: „Quod gravius ferremus, si quisquam ullam disciplinam philosophiae probaret praeter eam, quam ipse sequeretur", cum se eadem de re in priore libro effusius dixisse non premeret. Quotiens-

---

[1]) pag. 183. Secutus est Plasberg: ed. Acad. pag. 60.

[2]) cf. pag. 47.

cumque enim in Lucullo libro res in Catulo tractatas attingit, id non expresse dicere non potest. Itaque respiciendi sunt libri III. et IV., libri III. autem, cum Varronis partes complexus sit, tantummodo prooemium, quod illi propositum fuisse Cicero ad Att. XVI ep. 6,4 (ed. Orelliana) indicat: „... neglegentiam meam cognosce. De Gloria librum ad te misi ... in eo prooemium id est, quod in Academico tertio. Id evenit ob eam rem, quod habeo volumen prooemiorum .... cum autem in navi legerem Academicos, agnovi erratum meum". Primo quidem opinari hunc exordio libri III. de gloria Academicorum copiosius dixisse valde arrideat. Neque vero hoc mihi probabile videtur, cum idem prooemium et libro de Gloria scriptum esse ex loco allato cognoscatur. Atque ut defensio rationis illorum in alio Ciceronis libro atque in Academicis singularis non fuerit[1]), ita eum non necessario loco eam tam accurate persecuturum fuisse nego. Immo id ipsum optime quadrat ad Ciceronis defensionem libri IV., qui solus c. Ac. III 15 sq. fragmenti fons relinquitur.

Nunc non leviora fortasse reliqua sunt. Iam supra Ac. I 13 sq. indicari vidimus propositum Academicorum disputationis ita, ut Cicero auctore Philone nixus unam tantum esse Academiam affirmet, Varro neget. Qui cum incitatus, ut haec et veterem Academiam explicaret, re vera statim alterum munus Ac. I 15—42 praestitisset, Cicero autem postea illam suam sententiam defendisset, Varronem ipsum quoque id, quod primo infitiatus est, adversarii oppugnandi causa argumentis comprobasse necesse erat concludere. At Cicero Ac. I 43 sqq., ut recentiores ab antiquorum ratione non recessisse demonstret, hos ipsos scepticos fuisse enucleat. Neque vero dubium est, quin Alypius idem pro Academicis c. Ac. II 14 proferens Ac. I 43 sqq. imitetur. Quodsi Alypius iam in proxima paragrapho, quomodo Antiochus illos suis ipsorum gladiis iugulaverit, demonstrat, Varro autem, ut ex Ac. I 13 sq. apparet[2]), statim post Ciceronis orationem unam esse Academiam necesse est redarguerit, quoniam hic primo initio ad antiquos suae sententiae auctores provocat, illius quoque ab his adversarii telis se defendere et contra dicere proximae responsionis munus fuit. Itaque in editione Academicorum ab Augustino adhibita adversario Ciceronis id, quod legimus in § 15 c. Ac. II, iam in proxima oratione argumentum proferendum erat. Cum autem Antiochina

[1]) cf. prooemium libri I. de Nat. Deor..
[2]) pag. 77 adn. 3; pag. 80.

responsio, quae subsequebatur Ciceronis disputationem Ac. I 43 sqq. habitam, in priore editione Catulo libro tribuenda esset, bis in hac idem argumentum adhibitum esset, idque in Catulo libro et Luculli §§ 13—15. At hoc factum esse non verisimile est. Ergo hac quoque de causa posteriora Academica auctoris fontem fuisse efficitur.

Grave vero argumentum ad finem reservavi. C. Ac. III 24 Augustinus adversarium ita refutat: „Si autem hoc, quod mihi videtur, negas mundum esse, de nomine controversiam facis, cum id a me dixerim mundum vocari“[1]). Fingamus Augustinum hoc argumentum ex „Catulo“ sumpsisse. Primum tale nisi ab adversario Academicorum proferri non potuisse apparet. Deinde cum de verbis rixam movendam non esse quasi pro explorato habeatur, iam antea copiosius hoc ipsum constitutum esse necessario sequitur. Quod factum esse in Catulo supra[2]) evicimus. Sed id quoque elucet has disputationes in extrema huius libri parte habitas[3]) neque iam post Ciceronem ab adversario contra dictum esse. Sin tamen hoc fieri potuisse quispiam opinetur, non intellego, cur illud „celare“, quod attinet vocabula veri simile et probabile, Ac. II 60 demum a Lucullo referatur. Itaque illud argumentum non ex prioribus Academicis, sed tantummodo ex libro III. posteriorum depromptum esse posse certissimum iudico.

C.

Tali modo Augustini explicationibus recte in Ciceronis Academica dispositis earum partium, quae perditae sunt, gravissima quidem restituta esse puto. Sed fortasse etiam de editione posteriore nonnulla nunc perspicua sunt, quae adhuc mihi quidem non constitisse videntur.

Tamen unum restat, quod valde memorabile est: quas partes Catulus in amisso dialogo egerit? De hac re viri doctissimi inter se dissentiunt[4]). Neque hoc mirum est. Ii enim Luculli loci, quibus Catulus spectatur, perobscuri sunt, quin etiam ne certum quidem, quod in codicibus legimus. Catulus igitur utrum Antiochi

---

1) cf. pag. 56.

2) pag. 78.

3) pag. 81, 84.

4) Krischius pag. 142 sqq.; Reidius pag. 49 sqq.; Hirzelius: Quaest. III 279 sq.; Loercher pag. 284 sq..

an Academiae novae sententiam secutus est? Faciamus hoc fuisse. Primum constat, quod Hirzelius pressit, compluribus „Luculli“ locis explicationes Ciceronis expressis verbis referri imprimisque oratione finita[1]) hunc solum, ut sententiam suam mutet, a Lucullo admoneri. At inde etiam aliud concluditur. Etenim cum Lucullus, ut Academicos refellat, Ciceronem alloquatur et ne unus quidem illius orationis locus afferri possit, ex quo Catulum appellari[2]) huiusque quasdam expositiones respici colligendum sit, cur Catulum in dialogo perdito nescio quem Academicorum recentiorum secutum esse suspicemur, omnino non habemus. Immo hoc fieri non potuit: Primum, etiamsi Catulum quasdam Academiae novae partes suscepisse opineris, eius primas saltem egisse Ciceronem ipsum certissime elucet; quod nisi esset, in Luculli responsione huius neque tamen illius explicationum expresse rationem haberi non intellegerem. Deinde hoc constituto eum, qui adversarius Academiae novae exstitit, praeter eum, qui huius gravior defensor erat (i. e. Cicero), primas partes egisse colligere necesse est. Quae Hortensio addicendae essent, cum ex Ac. II 28 his verbis: „Ex hoc illud est natum, quod postulabat Hortensius, ut id ipsum saltem perceptum a sapiente diceretis, nihil posse percipi“ ab Antiocho illic eum stetisse[3]) apertum sit, ut Catulus huius inferiores partes ageret. At eum, cuius nomine liber inscribitur, in dialogo adiunctum esse tertium prorsus abhorret a probabilitate. Neque ita fuisse alio modo cognosci posse arbitror. Propterea affero ad Att. XIII ep. 16, 1: „Illam Ἀκαδημαϊκὴν σύνταξιν totam ad Varronem traduximus. Primo fuit Catuli, Luculli, Hortensii. Ecce tuae literae de Varrone. Nemini visa est aptior Antiocheia ratio.“ Addo, quae scripta sunt in ep. 19 ad Att. XIII § 5: „Haec Academica, ut scis, cum Catulo, Lucullo, Hortensio contuleram.“ Quodsi superiore quoque loco hi eodem ordine nominantur, hoc non fortuito sed tantummodo de partibus, quas quisque in dialogis egit, Cicero mihi videtur fecisse. Sin primum patronum Academicorum, deinde oppugnatores afferre in animo habuisset, quod Hortensium utroque loco post Lucullum, Antiochi defensorem libri II., nominasset, mirum esset. Immo hic nominum ordo ita mihi explicandus videtur esse, ut ii, qui hic atque illic graviores adversarii Ciceronis fuerint, Catulus

1) Ac. II 61 sq..
2) cf. Hirzel.
3) cf. etiam Ac. II 10.

in libro I., Lucullus in libro II., priores afferantur, tertius vero demum Hortensius, qui se ea modo, „quae in promptu erant", dixisse, „a Lucullo autem reconditiora desiderare" Ac. II 10 pronuntiat. Maximum autem momentum habet, quod ad Att. XIII 12, 3 scriptum est: „Ergo illam 'Ακαδημαϊκήν, in qua homines, nobiles illi quidem, sed nullo modo philologi, nimis acute loquuntur, ad Varronem transferamus. Etenim sunt 'Αντιόχεια, quae iste valde probat. Catulo et Lucullo alibi reponemus". Ergo Varro solus suscepit, quae antea Catulus et Lucullus explicaverunt. Itaque ille quoque Antiochi partes secutus est.

Haec sufficiant, ut Catulum non Academici cuiusdam sed dogmaticorum rationem secutum esse cognoscatur. Ceterum haud scio quomodo Krischius id, quod pag. 133 dicit, Ciceronem in editione posteriore sermones Catuli et Luculli ad Varronem transtulisse, coniungere velit cum altera sententia pag. 147 sqq. explanata, qua Catulus a Carneade stetisse dicitur.

Dispositio:

Vita auctoris.

Natus sum *Paulus Drewniok* die tertio decimo mensis Mai a. 1888 in vico Silesiae Superioris, cui nomen est *Bismarckhütte*, patre *Adolpho*, quem abhinc quinque annos improvisa morte abreptum valde lugeo, matre *Julia*, e gente *Stalitza*, quae utinam multos annos mihi servetur. Fidem profiteor catholicam. A parentibus domicilio in oppidum, quod vocatur *Königshütte*, translato literarum primordiis institutus primum ibi gymnasium regium frequentavi, deinde Plesnae, ubi vere a. 1908 testimonium maturitatis adeptus sum. Ex illis temporibus ad studia philologica atque historica in universitatem Vratislaviensem me contuli.

Docuerunt me viri doctissimi: *Baumgartner, Cichorius, Foerster, Gercke, Kampers, Koch, Kühnemann, Preuß, Scheer, Schrader, Skutsch †, Volkmann †, Wendland, Ziegler.* Proseminarii philologici sodalis fui per quattuor semestria, seminarii philologici per duo semestria moderantibus *Foerstero, Gerckio, Skutschio.* Ad seminarii historici, archaeologici, philosophici exercitationes liberaliter me admiserunt *Cichorius, Foerster, Baumgartner.*

Quibus professoribus omnibus maximas gratias debeo. Imprimis vero meritam debitamque gratiam *Alfredo Gercke* refero, qui me cum ad hanc commentationem conscribendam incitavit tum identidem praecipueque in ea conficienda summa benevolentia atque consilio adiuvit. Hoc pio animo memini semperque meminero.

UNIVERSITY OF CALIFORNIA LIBRARY